



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theatrum Asceticum, Sive Meditationes Sacrae

Neumayr, Franz

Ingolstadii [u.a.], 1747

VD18 14516888

Annus Imus Idea perfectae Conversionis. Sive Augustinus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54686](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54686)

**CONVERSIO
S. AUGUSTINI**

**ARGUMENTUM
QUINQUE MEDITATIONUM**

Quas

Congregatio Latina Major

MATRIS PROPITIÆ

B. V. MARIÆ ab Angelo Salutatae

Tempore Quadragesimæ Instituit

MONACHII,

Anno Domini M. DCC. XXXIX.

MEDITATIO I.

**CONVERSIONIS S. AUGUSTINI
PRINCIPIUM ET OCCASIO.**



ARGUMENTUM.



Quinque Meditationum hujus anni *unum* est Argumentum, sed multa consideratione dignissimum, *Conversio S. Augustini*. In illa contemplamur *Principium, Obstaculum, Luctam, Victoriā, & victoriæ Fructum*. Ita nihil negligemus, quod prodesse possit ad finem, quem nostra Sodalitas in Meditationum Scenicarum institutione intendit.

Eundem ut certius, ac suavius assequamur, in Musica tradimus pro praxi, doctrinam *de Mediis*, quibus vera *Conversio* rite perficitur. Quinque numerant, qui directionis animarum peritiam habent. Primum est *Fides*, alterum *DEI timor*, Tertium *Spes*, Quartum *Charitas*, & Quintum *Experientia* per aliquem *Exercitiorum Spiritualium* usum comparata. Singula *aliquid*, omnia *totum* præstant.

Spectator, & Lector sui profectus amans, persuadeat sibi, *in persona Augustini se suam videre*. Etsi enim non quilibet in eodem genere cum Augustino sit reus, vix erit tamen, qui non in aliquo genere aliqua conversione indigeat, sive ex malo in bonum, sive ex bono in meliorem.

Hodie exhibemus *Augustinum in Africa*, ubi usque ad annum ætatis 30^{um} docebat Carthagine Rhetoricam. Corruptæ per Patris indulgentiam adolescentiæ vitia hominem, præter cætera

cætera mala, etiam in hæresin Manichæorum pertraxerant, nempe *faventem libidini*, quia docebant impii homines, *non esse nos, qui peccamus, sed pravam in nobis peccare naturam.* Ita ipse l. 5. Confess. c. 10.

Actum erat de salute Maximi viri, nisi *cupido vera Sapientiæ*, quam lectio Ciceronis ad Hortensium pepererat, impulisset, ut in suæ sectæ fundamenta altiùs inquireret. Reperit in arena fundari, ideóque, cum dubia sua ne ipse quidem Faustus summus sectariorum Episcopus dissolvere posset, sine mora partes erroris deseruit, & Manichæus esse cessavit. Hoc ei *Conversionis Principium* fuit, sicut legere est l. 5. Confess. c. 7. Itaque præsentis Meditationis

Materia Est disputatio Augustini cum Manichæis.

Puncta duo: Primum, Disputationis occasio.

Secundum, Disputationis effectus.

Fructus, Correctio *voluntatis* per falsa axiomata *Perversæ.*

Propositum, Examinare se, ex quibus quisque *principiis* vixerit, & *in specie*, an non putaverimus servire excusationi posse illud ab Adamo hæreditarium: *Mulier, hoc est, Natura, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi.* Gen. 3.

Personæ.

Augustinus,

Alipius nobilis Afer,

Potitianus ex aula Arcadii Imp. Catholicus,

Romanianus Manichæus Augustini Mæcenas.

Nebrius Augustino Familiaris,

Navigius ejusdem Frater, Catechumenus.

PRÆLUDIUM

Præparat animos ad fructum ex his Meditationibus colligendum.

Anima meditans. Angelus explicans.

- Anima.* **P**Auci Electi! (a) *Matt. 20.*
 Triste Evangelium! Angele mi!
 An ergò Deus *non vult omnes salvari?*
- Angelus.* Vult utique, & ardentissimè.
- Anima.* Homines igitur salvos fieri *non velle,*
 Jubes me credere?
- Angelus.* Imò etiam homines volunt omnes salvi fieri.
- Anima.* Deus vult omnes salvari,
 Homines volunt omnes salvi fieri!
 Quomodo igitur sunt pauci electi?
- Angelus.* Nempe, quia pauci (attende, & intellige me)
 Pauci volunt se salvos facere.
- Anima.* Portentum ignaviæ!
 Non sic ego, non sic!
 Ego scio, quòd, *qui creavit me, sine me,* *S. August.*
Non salvabit me, sine me.
 Volo, volo, *ut pauci, vivere!*
 Quocunque labore constet, *volo,*
 Volo me salvam facere.
- Angelus.* Ita gaudes teipsam decipere.
 Volo, volo, verba sunt: opera exhibe.

Aria.

Quid fecisti dignum celo? (b)
 Age, narra, jacta te!

(a) Exhibetur specus, & imago accommoda pro Præludio. (b) Inscriptio: *multa mala, parum boni, & hoc ipsum parum bene.* Annos

Principium & Occasio

Annos vitæ sine velo,
Sine palpo inspice!
Quale tandem, quale tibi
Scribes Epitaphium,
Nisi, quale vides *ibi*, (c)
Tuæ fortis hominum.

2.
Garris artes, & labores,
Buccinas negotia:
Tace! curas graviores
Suscipit aranea, (d)
Ah! pro musca, non pro Deo
Sic eviscerâsti te!
Et hoc sit servire Deo?
Hoc sit *velle* salvum se?

Anima. Heu! lumen terribile!
Ergò *inter multos* me video,
Qui salvare se, nunquam volunt seriò!
Decretum est: *inter paucos* esse volo:
Doce me, mi Angele,
Quid est igitur *seriò velle* salvare se?

Angelus. Accipe:
Voluntas *perversa*,
Quæ adhibet *media* ad finem *noxia*,
Voluntas *pigra*,
Quæ differt, aut negligit *omnia*,
Voluntas *debilis*,
Quæ facile cessat & resilit, cùm via est *ardua*,
Voluntas *restricta*,

A 3

Quæ

(c) Crypta mortualis cum inscriptionibus ex c. 5. Gen. *Vixit . . . genuit filios,*
& *filias . . . & mortuus est.* (d) *Telas aranea texuerunt.* Isa. c. 59. *Exhibitio.*

Quæ intermedia acceptat aliqua, excipit alia,
Non est voluntas *seria*.

Qualis tua sit, ut plenè intelligas,

Ecce Theatrum aperio, (e)

In Augustino *te tibi* exhibeo.

Qualis fueris, qualis esse debueris,

Qualis posthac esse debebis,

In Augustino videbis.

Anima. Tuæ curæ libenter committo me,

O bone genie! dirige! dirige!

Dixi: statutum est: *volo salvare me serid.*

Angelus. Ut aspiret cælum pio desiderio,

Compone animum, oculos erige,

Mentem eleva,

Et tua meis junge suspiria.

Duetto.

Ambo.

Scrutator cordium,

Quem nullæ fallunt latebræ,

De tuo bonus lumine,

Huc mitte radium!

Anima.

Da mēmet intueri,

Et vitæ ignavissimæ

In nugis malè perditæ

Horrore commoveri!

Angelus.

Fac, nubila secentur!

Et ut, quæ diu credulam

Jam tenuerunt animam,

Tenêbræ dissipentur,

Ambo.

Huc mitte radium,

Scrutator cordium.

ME-

(e) Augustinus inter perversæ mentis emblemata,

MEDITATIONIS

De Disputatione S. Augustini

PUNCTUM I.

Disputationis occasio.

SCENA I.

Augustinus, Nebridius, Alipius, Potitianus.

A *Liptus.* (a) Est commoda navis, & instructa ex voto. Beneficium, Potitiane, fecisti, quod me invitaveris. Inspecere penitiùs licet? *Potit.* Ingredere, & selige locum tibi, Alipi: hospitem gratum habeo. Et quid vos tandem? *Augustine, Nebridi,* nobiscum ibitis? *Al.* Quousque dubitatis? *Nebr.* Expecto amici sententiam. *Aug.* Et ego adventum Fausti. Antequam Fausto loquar, non abibo. Ille meis, ut dixi, & spero, dubiis satisfaciet: atque, nisi me Romanianus fefellit, aderit hodie. Igitur si crastinum expectare lubeat, fortè utemur beneficio, & jungemus nos vobis. *Pot.* Ah fortè! Ah Faustus! *Al.* Faustus ut satisfaciat tibi, desideras magis, *Augustine,* quàm speras; puto. *Pot.* Tamen audiatur, modò hodie veniat, & ut postea nihil ultra differas. Nam ego miles sum, & urget abitum Imperium Cæsaris, ut primùm tranquillius erit mare. *Aug.* Post auditum Faustum non morabor decernere, quod mihi proderit.

Med. I.

SCE-

(a) Exhibetur turbidum mare, cum portu Carthagini.

Conversionis S. Augustini

SCENA II.

Augustinus, Nebridius.

Nebrius. Favete cæli, ut adhuc hodie pacetur mare, & ventus afflet, qui vehat Romam. Roma mihi diu, noctuque in desiderio est. *Aug. mihi sapientia, & veritas.* (b) Veritatem si non inveniam Romæ, Roma, sicut Carthago, molesta erit. Locus mutabitur, animus nihil Contemplare, Nebridi, hoc Symbolum cordis mei, & miserere! ecce sic fluctuo! sic jactor! sic æstuo inter syrtes, de fide dubius, de moribus anxius! experior verbum Domini: *impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest, & redundant fluctus ejus in conculcationem, & lutum.* (c) Fidem facile muto, si invenero meliorem. Sed nempe si fidem muto, mutandi & mores erunt: hoc ut ego possim! . . . nôsti me! *Nebr.* De moribus cogitemus postea: fides bona bonum Consilium dabit. O fides! ô veritas! ubi te reperiam? *Augustine,* ego in eadem sum navi, tecum ambiguus, ubi vera sit fides. Portum suspiro, sed non tenebo, scio, nisi abimus ex isto portu. Age, convalescimus, decerne tandem. *Aug.* Convalescere nullum negotium est, omnia sua portanti secum. Sola expectatio Faustii facit moram. *Nebr.* Mihi tu facis, Faustus nullam. Quâmcunque ille doctus sit, ac disertus, nunquam tamen Augustinum dubiis exsolvet suis: quin, ne involvat magis, hoc metuo. *Aug.* Audiendus est: promissum dedi. ut hominem divinum descripserunt: cur non sperem. veritatem digito demonstraturum cupienti, & explicaturum difficiles nodos, quibus minorum gentium Manichæos disputando implicui? Scis, quod se fassi sint impares, qui responderent argumentis, quibus oppugnavi Manetis doctrinam. parem autem Faustum esse: experiar igitur. *Nebr.* Video, quid sit futurum. Ajunt. hominem naturâ facundum esse. (d) Garrulitate itaque, & elegantia sermo-

(b) l. 3. Confess. c. 4. (c) l. 4. 57. (d) L. 5. c. 3. 6. & 7. Confess.

sermōnis malam causam defendet, quam justis armis non potest.
Aug. De me te crucias. Sed ego scio, amice, quæ sit ratio
 agendi cum talibus. *Quomodo* locuturus sit Faustus, ego non
 attendam: *quid* sit locuturus, hoc examinabo. Si satisfecerit
 dubiis, habebit me sibi captivum: sin minus, accepto Potitia-
 ni beneficium, & tecum, ubi cælumnaverit, ac cum Alipio,
 Romam abeo, modò tamen etiam consenserit Melania. (e)
Nebr. Hem! nova exceptio! putabam solum Faustum in mora
 esse. Illudis mihi? usque adeò imbellem te credam? non credo.
 Aut, non puderet adeò sine ambagibus mancipatum tam turpem
 fateri? . . . Vah! audio muliebrem gemitum. . . Heu! verè
 Melania te plùs, quàm Faustus tenet! obsecro, Augustine,
 quot mariti sunt, qui per terras ac maria passim vagantur, uxore,
 non dico, non consulta, sed etiam meritò invitâ: & tibi
 non liceat tuæ salutis causâ Romam petere, nisi amica probave-
 rit? ignosce amico: liberè loqui cogit indignitas rei. *Aug.* Con-
 dono laudaciam nunquam experto, quid sit amare. *Cæterum*
 ita est: Videò, me esse mancipium: sed, quid faciam? *esse cogor,*
nunc maximè, postquam cum Manichæis sentire cœpi,
non esse nos, qui peccamus, sed pravam in nobis peccare naturam.
 (f) Non credis, quantum me istud axioma confirmârit in malo,
 quod malum esse scio, & tamen amo. *Nebr.* Miror, fieri posse,
 ut homo sapiens amet malum. *Aug.* Admiratio tua est filia
 ignorantia, de qua ego gratulor tibi: tu mihi condole, & de
 his file. *Nebr.* Ego non pecco, sed prava in me peccat natura: Au-
 gustine, credis tu veram sententiam esse? falsa est: utique in-
 telligis. *Aug.* Falsa est, patet, quia Deus me punit, cùm pecco:
 ergò ego pecco, neque enim, qui non peccat, justè potest pu-
 niri. Deinde, sicut experior vivere me, sic experior, me ali-
 quid velle, aut nolle, cùm pecco: sequitur, quòd peccare sit
 voluntatis actio, non naturæ. Sed hæc argumenta fortè Fau-

(e) L. 4, Conf. 6, 2, (f) l. 5, Conf. 6, 10, B

stus dissolvat. Experiar. *Nebr.* Opto igitur, ut hîc jam nunc adsit: nam mihi certum est, nihil aptè responderi posse. *Aug.* Etiam judico. Est tamen nescio quid, quod mihi blanditur intus, & dicit: nihil metue! huc te natura adigit: non offenditur, qui est auctor naturæ. Reclamat ratio, & urgens me: Augustine, inquit, non es animal brutum; homo es: hominem autem non debet appetitus regere, sed decórum, non apprehensio, & phantasia, sed discursus: tu quem consiliarium audis? en! hæc cogitationes discerpunt cor: sed pacem Faustus feret. Oro te, *Nebridi*, Romanianum accede, ut, cum primum Faustus advenerit, monear. Ego interim hic solitarius obambulans mari, meas pugnas contemplor, donec Alipius ex navi redeat. Fac obsequium. *Nebr.* Utinam ad solatium tibi.

S C E N A I I I.

Augustinus. Navigius.

A*ugustinus.* Paulatim mitescit mare: prô Superi! abibit hodie cum Potitiano Alipius meus, & sine me? fure pelagus! urgete venti! nova procella surgat, ut tempus lucrer!... nihil ago. Magis ac magis se fluctus ponunt. O ut sit hoc omen bonum, & sic animum Faustus componat meum!... ecce! hinc aliqua se navis movet!.. propinquat!.. appellit littori!.. quis hospes adest? exscendit. Quasi ex nemore prodiens obvius veniam: *Nav.* Deo sint laudes, quòd salvus adsim. Hic expectate, dum redeam. Fallor! an fortè hæc ipsa est navis, cui se committet filius prodigus, iturus in regionem longinquam? ô verè filius lacrymarum! sed, quis inde se movet? *Aug.* Quid me circumspicis bone juvenis? num est, quod velis? *Nav.* Nescio, cui loquar. Nisi tamen me vestis fallit, fortè video ex Doctoribus aliquem, qui Academiam Carthagine regunt. *Aug.* Non errásti. *Nav.* igitur aut es ipse, quem quæ-

ro, Augustinus, Domine, aut certè tibi ignotus Augustinus non est. *Aug.* Etiam rectè, nam familiariter novi hominem. Et quid cum illo est tibi? *Nav.* Fratres sumus, & habeo, quod à Matre nuntiem. *Aug.* Frater Augustini es tu? tu Navigius, Monicæ Filius? *Nav.* Is sum: & mirari te video? *Aug.* Miseret tui! & novi Monicam. Est foemina notæ optimæ, dignaque ut illi filius solatio esset! *Nav.* Ah! ut esset! *Aug.* Gemis! & ego, quòd frater sis hominis obstinati in malo, condoleo tibi. *Nav.* Adorat Africa fratris ingenium: eruditionem, eloquentiam, doctrinam tota Carthago stupet: quid juvat? Mater desideraret plus virtutis, minùs scientiæ. Ajunt, in fide, & moribus infamem esse: hoc dedecus omne decus pessumdat. *Aug.* Idem queruntur amici omnes, sed utique maximè mater tua? *Nav.* Lacrymis innatat perpetuis misera, illud Rebeccæ millies repetens cum gemitu viscerum: *si sic miki futurum erat, quid necesse fuit concipere?* *Aug.* Credo. Sed ætatem habet filius: si non vult sapere, ipse sibi est mali causa: quid affligit se mulier sine fructu? *Nav.* Mater est. Fierine potest, ut non acerbissimè sentiat, genuisse se filium, æternis, ut apparet, ignibus destinatum? *Aug.* Desperâstis, mutari posse? meliora spondeo. Novi hominem. Non est inter illos, qui, cum jam sint morti proximi, adhuc negant, se ægros esse. Augustinus agnoscit, graviter se decumbere, periclitari, & grandi medico habere opus. *Nav.* à Fausto expectat opem, scio, & si apud illum non inveniatur, Romam cogitat. Sed inanis fiducia est, imò medicina morbò nocivior. Mater aliam suadet, quam credit, certius saluti fore: litteras fero. Nunquid in navi reperiam? *Aug.* Paulò antè fuit. At ego gaudeo, hoc audiisse, quòd spem de filio non abjecerit Monica. Oro te, dic, quid fortem adeò mulierem facit? *Nav.* Visio fecit, quæ nuper dormienti objecta est. Ita bonus est Deus, & afflictos ad se fugientes solatur.

Aug. Visio? ò clementia Numinis! recreas me bono nuntio. Quin narres, an obstat aliquid? Nav. Augustini amico loquor, non dubito. Nomen num licet scire? Aug. Affectum intelligis, & scies nomen postea. Nunc hoc sufficiat, salutem hominis æquè mihi curæ esse, ac est ipsimet. Hinc avidè audio, quid dicas. Nav. Dicam. Videbatur sibi Mater in eadem cum filio domo versari, eadem mensâ uti, colloqui, convivere. Aversabatur hæreticum, blasphemias erroris detestans. Fugere conatur, increpat, abigit. Frustra. Nam, dum, quâ se propriat, circumspicit, videt, stare se in quadam regula lignea: ponè adistere juvenem splendidum, ac hilarem, cum ipsa moereret. Ille causam tristitiæ exquirat: respondet Monica, Augustinum se plangere. Et juvenis arridens: vide, ait, ubi tu stas, ibi & ipse. Ad eam vocem ipsa se vertit, & vidit, fratrem meum in eadem secum regula stare. Aug. Somnium dubium. Nam quid? si significet, etiam Monicam fore Manichæam, & sensuram cum filio? Nav. Non ita fiet: nam ecce, cum ego narranti visionem matri hoc ipsum objicerem, illa continuo, & læto aspectu, non, dicebat, fili, non, ut tu interpretaris. Non enim dictum est mihi: ubi filius, ibi & tu, sed, ubi tu, ibi & filius. (g) Aug. Hem! amplius me istud responsum fæminæ quàm visum movet. Nav. Crevit spes ex eventu novo. Ut citò fieret, quod viderat, Mater cupida, adiit Presbyterum, doctum virum, ac eruditum, quem credebat sufficere, ut se Augustino per disputationem opponeret. Rogatus noluit: disputando nihil effectum iri causatus contra hominem ætate juvenem, hæresis novitate indocilem, scientiæ opinione inflatum. Tolera, dicebat, & sine illum. Tantùm roga pro eo Dominum: ipse legendo reperiet, quis suus sit error & quanta impietas. (h) Aug. Profectò prudens responsum fuit. Nav. Addidit bonus vir, se parvu-

(g) L. 3, Conf. 6. 11. (h) L. 3, Conf. 6. 12.

parvulum eadem hæresi Manichæorum corruptum esse: postea ipsa lectione, nemine contra se disputante, vidisse errorem, horruisse, fugisse. *Aug.* Prorsus bellè. *Nav.* Verùm instabat ulterius mater, urgens, deprecans, flens ubertim, ac obsecrans, ut disputaret. Tum ille substomachans tædio, & imperiosius: *vade, inquit, fieri non potest, ut filius istarum lacrymarum pereat.*

(i) Ad hanc vocem, velut si de cælo sonuisset, absterfus est mæror, redundavit animus |dulci solatio, neque dubitat de veritate oraculi: unum angitur, ne diu differatur eventus. *Aug.* Amice, me ipsum, dum ista narras, sentio læta spe de Augustino impleri. Quo medio cupit Monica, ut juves miserum! *Nav.* Nuptias suadet. *Aug.* Nuptias suadet! quale hoc Consilium contra hæresin? *Nav.* Sperant amici, nuptias remedium contra concupiscentiam fore, atque Augustinum Catholicis se adjuncturum sine mora, ut primùm coeperit castè vivere, & intra matrimonii limites continens. *Aug.* Callidè quidem: nempe quia creditis hominem, non tam intellectu, quàm voluntate errare? *Nav.* Sic omnino constitutum esse fratrem non dubito. Nam quòd Vir tam perspicax adoret ineptias, quas Manichæi garrunt, fidemque seriam tantis stultitiis habeat, nemo adducet, ut credam. *Aug.* Tecum sentio. Hoc verò ut persuadeas, ne opponat se nuptiarum consilio, difficilis labor est. Nimis alligatum Melaniæ scio. *Nav.* Modò jam istud obtineam, ne Romam abeat. De Melania constituit modum mater, quo eripietur ignaro. *Aug.* Profectò diligenter omnia cogitastis. Et quem tu loqueris modum? *Nav.* Aliàs narrabo; nunc citò perquirendus est Frater, ne fiat profectio, antequam colloquar. Ubi inveniam, doce, obsecro. *Aug.* Proximè ad portam urbis de Romaniano inquire: Vir est prædives, & Augustini Mœccenas. Ibi, nisi inveneris fratrem, saltem intelliges, quid agatur.

B 3

Nav.

(i) Ibidem.

Nav. Amicè agis. O si quid potes, domine, porro te [Matris consiliis junge. Rem magnam facimus, nisi malè augurantur, qui nôrunt virum, si Augustinum Ecclesiæ Christi lucratur, & Deo.

S C E N A IV.

Augustinus solus.

A*ugustinus.* Operam dabo, ne te paniteat esse locutum mihi. Jam Faustus, amor, Roma, Monica, simul omnes impetum faciunt in istud pectus. Navigi, Frater, quot turbas cies? Monica nuptias suadet? Melania eripietur ignaro? Faustus nihil proderit mihi, & Roma nihil? undique tædia, Hoc habeo, postquam post concupiscentias abii. Uxorem ducam? quid deinde? num ideò sanus ero? amores deseram? Amo, amor, dedi fidem. . . . Faustus pacem animo feret? spes exigua. . . . Romæ inveniam, quid sit veritas? sit ita: forsitan reperta veritas cruciabit ferociùs, 'quàm blandus error. . . . Ô calamitas mea! divisus sum. Hinc amor Sapientiæ ingens, & fortis trahit: inde retrahit amor carnis ardens, ac pertinax: neque erit pax, intelligo satis, non erit pax, donec succubuerit alteruter, & totum occupet victor unus. Quando autem hoc erit, aut num aliquando demum? Mater sperat. Vidit in eadem secum me regula stare: igitur Catholicis jungar? fortasse. An verò cum fide mutabo mores? difficulter. Nihil ergò proderit ire Romam? omnia in dubio sunt. Ô fastidium! & in interitum eo, si pergo viam tam dubiam ire! Quid timeo tamen? fieri non potest, ut filius tantarum lacrymarum pereat, quantas Monica fundit pro me. Adoro patientiam boni Numinis! utinam non fatigem! prò! quanti tumultus in hoc certamine amoris gemini! aut voluptas est deserenda, aut veritas. Quid facio?

SCE-

S C E N A V.

Augustinus. Alipius.

A*lipius.* Ecce! solitarium hîc reperio. Amice, quid agis? quousque te ista deliberatio torquet? *Aug.* Alipi, nuptias cogito: sic suadet Mater. *Al.* Illudis? *Aug.* Qui nuntium tulit Frater, nunc primùm in urbem abiit. *Al.* Res nova! & placuit muliebri consilium? *Aug.* Non à quo sit, attendo, sed quale. *Al.* Heu me! ergò jam certum est tibi, non abire ex Africa? *Aug.* Hoc certum est, consilium matris non displicet mihi: heu! nimis grande proposui negotium: perpetuò cælibem vitam, & castam agere, Alipi, non est cujuslibet. *Al.* Vah! etiam me, ut existimo, à suscepto cælibis vitæ consilio absterbis? Vale! addixi me Potitiano, Romam ibo, & in cultu castitatis vitam cælibem Sapientiæ studio, ac virtuti dicabo. *Aug.* Bene facis. Ipse obsecro, ut citò discedas à me. *Al.* Quid? etiam me abigis? Ita te loqui amico decet? vix gustare cœpi tuæ amicitiae fructum, & spem inveniendæ per te sapientiæ capere, cùm te separas? quid jam offendi, ut iratus sis mihi? fortè quòd firmum decretum sit mihi eundi Romam, vel si tu nolis, hoc inimicum facit? *Aug.* Fui. Nunc amo verè: ideò, ut abeas, etiam rogo. Deceptus, decepi te, & prò dolor! in idem errorum barathrum mecum traxi. En! vela Potitianus explicat: perge Romam, quære, ut invenias virum, qui ex fo-vea trahat. *Al.* Trahat, qui trahet te: quæramus simul, quando utrique par est desiderium quærendi verum. *Aug.* O veritas! veritas! *quàm ardentè medullæ animi mei suspirabant te!* quæsi, & non inveni, quia nempe tu, Deus, *lege infatigabili spargis pœnales cæcitates super illicitas cupiditates!* (k) Sapere me credidi miser, & stultus factus sum. *Al.* Me istæ querelæ nihil juvant.

(k) *L. 1. Confess. c. 17.*

juvant. Dic apertè, si Faustus non satisfecerit tuis dubiis, ibis Romam? *Aug.* Nescio. *Al.* Sapientia Studio te studiosius dabis? *Aug.* Nescio. *Al.* Quid igitur fiet? *Aug.* Nescio. *Al.* Si nescis, quid statuas, conferamus consilia saltem, ut tandem decretum fiat. *Aug.* Relinque me mihi. Ego jam neque dando consilio, neque accipiendò idoneus sum. Vitæ huc usque actæ imago foeda se oculis objicit: indetædium, & amarus horror, moeror, nausea. Vah! annum vitæ trigesimum ago, ô cæli! qualis vitæ! *Alip.* cessa amare me. Vereor, ne amor, qui te similem mihi non invenit, similem faciat, & eris monstrum, quo nullum tetrius tulit Africa. *Al.* Quæ intemperia! *Aug.* Non fugis? *Al.* Neque me capio, neque te, minimè, quid isti sermones velint, aut unde sint. *Aug.* Fuge, inquam, fuge à me! *Al.* Imò tu proficiscere mecum, si me, & te amas. *Aug.* Non, ajo, sed tu fuge. *Al.* Quæso, quæ turbæ te agunt? *Aug.* Ah! qui sim, ignoras. ô bone! ... bene habet. Solus foli annales vitæ ex memoria legam, ut incipias nôsse, & cesses amare. *Alip.* Hoc me consilio fugas. Nam cui bono audiam mala tua? *Aug.* Imò, si amas, manes, ne redeas postea, & rursus ames. Nocui tibi, dum Manichæum feci: prodesse volo, nec possum certiùs, quàm si persuasero, ut me oderis. *Al.* Non intelligo te. Sed mihi turbatus videris. Omen est bonum. Vim amicam patior. *Aug.* Huc affide. *Al.* Sæpe tristibus solatium est, audiri. Audio, hac lege tamen; ut tu postea audias me. *Aug.* Nescio. *Al.* Etiam ego, quid velis, nescio: tamen loquere. *Aug.* Unde exordiar? .. Ubi, oro te, *Deus meus, ubi Domine, ego servus tuus, ubi, aut quando innocens fui?* (1) in peccatis concepit me Mater mea, & quantum sit in me peccati imperium, jam infans prodidi. Sæpe jam tum, quod nocebat, petebam cum multo fletu, & indignabar negantibus, feriebam, cupie-

(1) *L. 1, Conf. c. 7.*

eupiebam nocere, nec rarò, etsi nondum loqui possem, jam tumens invidiâ intuebar pallidus collactaneos meos amaro aspectu. Tolerabantur hæc à nutricibus, blandè quidem, sed stolidè, *non quia nulla mala, vel parva, sed quia ætatis accessu peritura videbantur.* (m) *Al.* Vitium commune narras infantibus ex Adamo progenitis. *Aug.* Per stolidam indulgentiam, ut dixi, crevit mecum, & ex infantia in pueritiam transiit. Videbam tunc homines adorare Deum: hinc intellexi, Domine, ut potui, *te esse Magnum aliquem, qui posses etiam non apparens sensibus nostris exaudire nos, & subvenire nobis.* (n) Igitur, Alipi, orabam etiam ego Deum, sed quid credis, orâsse me? ah! Deus magne! *rogabam te parvus, non parvo affectu, ne in Schola vapularerem,* quia, quod erat bonum mihi, unum malum putabam. Cæterùm ludere, & ludendo vincere, unum gaudium fuit: bonas litteras discere tædium, obedire præpositis tormentum. *Al.* Quid facias? sensus & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua. *Aug.* Hinc collige, ut crescat malum, si alat Pater, ut aluit meus. *Christum non noverat* (o) miser: ideò, quod est Ethnicis proprium, nihil erat anxius, quibus moribus viverem, modò in litteris proficerem. Itaque ego, Alipi, præcepta Grammaticæ violare turpius esse credidi, quàm violare Decalogum, & solocismum horrebam plus, quàm quodvis flagitium. Superi! *quantillus puer, & quantus peccator!* (p) *Al.* Infelix eras patris culpâ magis, quàm tuâ. *Aug.* Atqui ego me felicem putabam, quòd facultas esset vivendi licentiùs. Ita ingressus adolescentiam adhibebar Poësi. Legebam obscœnas fabulas: nam hinc, agebant inepti doctores mei, *hinc verba discuntur, hinc aquiritur eloquentia.* (q) Cathedra pestilentiæ prostabat in foro, & turpitudinem docentibus, supra mercedem, dem,

(m) *Ibidem.* (n) *L. 1, c. 9.* (o) *L. 1, c. 18. & 19c* (p) *L. 1, c. 12.* (q)

L. 1, c. 16.

dem, etiam ex ærario reipublicæ decernebantur salaria. In elegantibus libris, quasi in vasis pretiosis, vinum meretricium propinabant ebrij didascalii, & nisi biberemus, cædebamur, nec licebat appellare ad aliquem judicem sobrium. Ego verò, ut videas nequitiam pueri, talia libenter didici, eisque delectabar miser, & ob hoc bonæ spei puer appellabar. *Al.* Miseret me. Video fontes geminos, ex quibus toxicum in te fluxit. Ex libris bibebas scelus, ut lac, & torrens hominum, plus scientiam, quàm conscientiam amantium (r) devolvisset vel reluctantem in mare mortuum. Satis est: ex his principiis intelligo consequentias. *Aug.* Adhuc audi. Sileo innumera mendacia, fraudes, furta, iras, rixas, gulam, & reliqua vitia, quibus puerilem innocentiam corrupti: ad decimum sextum ætatis annum (s) venio. O annum infelicem! tunc, ô Numen meum, computrui coram oculis tuis, placens mihi, & placere cupiens oculis hominum, æstûque concupiscentiæ abreptus totum me in hoc studium effudi, ut amarem, & amarer. *Al.* Cessa, cessatandem. Mala te educatio malum fecit: malè sit illis, qui post bonam mali fiunt! *Aug.* Annum illum miserum otiosus agebam domi, quia pater præparabat sumptus, quibus postea in Academia me aleret. Tunc, amice, excesserunt caput meum vepres libidinum, & nulla erat eradicans manus, imò gaudebat Pater ex inquieta adolescentia, quasi jam in nepotes gestivet. (t) *Al.* Vah! parentem non parentem, sed peremptorem! *Aug.* Sic erat. Postea Thagastâ translatus Carthaginem in Manichæos incidi. Displicuit doctrina Catholica, quia sanctior erat, quàm ut possem amare, & altior, quàm ut possem capere. Placuit Manetis, quia favebat moribus meis, & doctores ejus semper veritatem, veritatem, & merissimas evidencias plenis buccis spondebant. Ergò à decimo nono anno vitæ meæ cum his comitibus iter agebam platearum Babylonix, &

(r) L. 1. c. 19. (s) L. 2. c. 1. & 2. (t) L. 3. c. 6.

& volutabar in cœno ejus tanquam in cinamómis, & unguentis pretiosis. *Al.* Poteras tanto tempore sine animi cruciatibus scelus amare? *Aug.* Scis, inter alias blasphemias docere Manetem: non esse nos, qui peccamus, sed pravam in nobis peccare naturam. In quanta mala unum hoc malum axioma præcipitaverit, flere magis lubet, quàm dicere. Reprehendebas me sæpe, Deus mi, & audivi vocem graviter objurgantis hinc intus: Augustine quid facis? Ego impudens declinavi cor meum ad excusandas excusationes in peccatis: accusavi naturam, dixi: *Domine natura, quam dedisti mihi!* ... & accusando naturam, putabam insanus defendi me! *Al.* Obtundis aures. Cessa, obsecro! erratum est utique, video, hoc te videre. *Aug.* Video, & horreo. Nam quis ad talis vitæ Historiam non horreat? nunc à cognitione veniendum est ad correctionem: Alipi, quid possum sperare? narraui me tibi: quid putas? *Al.* Magni motus te agitant: spero bene. Non diu displicebit Deo, qui verè displicet sibi. *Aug.* Monica, Alipi, hos animi salutare tumultus debeo. Maternas lacrymas trahit ad se cælum, & mutatas in frugiferum rorem arido cordi depluit ad refrigerium. Sic mihi Frater narrat, & ne de me desperem, hæc matris pietas facit: quidniigitur Consilium de nuptiis audiam? *Al.* Nuptiæ forsitan uni malo medellam ferent: sed alteri, quo laborat intellectus, nisi hodie Faustus medetur, quis medebitur postea, si in Africa uxori adhæreas? Romam, Romam nos vocat veritas! ibi sapientiam sponfam habebō, & perpetuò cælebs vitam beatam vivam. *Aug.* Hoc tu potes: ego non possum! ah! quis mihi filum in hoc labyrintho?

S C E N A VI.

Alipius. Potitianus. Navigius.

A*lipius.* Quò te abripis? relinquo sibi: Superi Consilium dabunt. Mihi miseratio viscera commovet! quàm felix fui,

fui, cui melior educatio obtigit! adde bonum alterum Deus, ut vera fides se mihi offerat; & possideo omne bonum, quod hominem in hac vita felicem facit. *Nav.* Et quid hoc erit? *Domine*, non est tibi visus Augustinus in loco hoc? *Al.* Quis es? quid vis? *Nav.* Jo! nunc felix sum. *Potitiane*, amice optime, salve millies! *Pot.* Navigi salve! hospes inexpectatus ades. *Nav.* Ad te, & fratrem legatus à matre. *Al.* Hic frater Augustini est? *Nav.* Frater à Fratre despectus immeritò, & illusus. *Pot.* Quid enim quereris? *Nav.* Vides naviculam, quæ paulò antè Thagastâ huc me advexit: ut exscendi, in virum incido doctoris habitu: de Augustino requiro: amicum se fingit: narro multa: denique ad Romanianum me mittit. Eo; Romanianus, postquam ei descripsi hominem, ait, jam esse locutum fratri, & jubet redire ad portum. *Al.* Non eum noveras? *Nav.* Trimulus fui, cùm ille Thagastâ discessit: ab eo tempore nunquam vidi. Sed tu judica, *Potitiane*, quæ sit ista humanitas, dissimulare se fratri, fratrem profitenti, & litteras, quas à matre habeo, ne quidem acceptare! *Al.* Habet graves causas, cur sic: & tuum hac die malè auspicatum est iter. *Nav.* Nempe iste ex Manichæis est, *Potitiane*, qui metuit, ne Mater Augustinum eripiat! *Pot.* Amicus Alipius est, intimè familiaris: nihil metue. Ad me, quæ habeas mandata, loquere. *Nav.* Hoc rogat te Mater per nomen Catholicum, quod colis, ne filium ex Africa avehas. *Al.* Sic est: & nempe ne consilium nuptiarum impedias. *Pot.* Nuptiæ agitantur? *Nav.* Video istum jam hæc omnia tractasse cum Fratre. Ah! Alipi, cur opponere te vis salubri desiderio matris? *Al.* Quia amicus sum. Nonne à Manichæis ut se abstrahat filius, hoc mater cupit? *Nav.* Unicè optat. *Al.* Atqui non potest huic voto pestilentius esse consilium, quàm istud de nuptiis. *Pot.* Eadem est mea sententia: & credidi, me gratiam matri facere, si Augustinum eadem operâ

&

& à conversatione cum Manichæis, & ab ineptiis amorum abducerem. *Nav.* Enimverò amicos audio, quibus si est sensus diversus à matre, acquiescet haud dubiè pia fœmina, quæ unam filii salutem sitit. Sed quos tamen sensus Frater de nuptiis prodidit? *Al.* Ambiguos inter illas, & iter: cæterùm mihi credite: quamdiu tenetur à Melania, neutrum fiet. *Pot.* Mihi occurrit consilium. Fœmina, sicut Augustinus, etiam ipsa est dubia de sua fide. Suadeat ipsi aliquis, ut ipsa Augustinum ad iter urgeat, ex quo redux docturus sit veritatem, quam Romæ didicerit. *Al.* Consilium placet, præcipuè si Faustus disputanti succumbet. Ego exequor.

S C E N A VII.

Potitianus. Alipius. Navigius. Nebridius.

N*Nebridius.* Jo! Faustus advenit. Date Augustinum amici!
Al. Inter arbores se condidit, ut tædio, & angoribus suis vacet liberiùs. *Nebr.* Erit finis. Tu, quæso, Potitiane, ne solvas navem, donec disputatio finiatur. Successus determinabit consilia. *Pot.* Beatum me facitis, si itis mecum. *Nav.* Idem Frater optat. *Nebr.* Augustini? *Pot.* Ab anxia matre sollicitus nuntius. *Nebr.* ô salve! Frater igitur etiam meus es, nam & ego Augustinus sum. Requiro virum. *Nav.* Lata dies, quæ tot amicos jungit. *Al.* Nebridius est, qui abiit, & ipse Sapientia devotus imprimis: Sed ego jam negotium conficio cum Melania, ut post Faustum victum sublatus sit omnis obex. *Pot.* Mihi prurit animus hoc idolum videre, & audire, quæ spuat oracula. *Nav.* Ego hîc Fratrem expecto, ut comes eam. *Al.* Imò commodiùs post victoriam sistes te, & litteras dabis.

Pot. Quibus ego pondus addam. Nunc veni mecum.

Nav. Pot. Al. Consilia fortunet Deus.

C 3

CHO

C H O R U S.

Conversionis seriae principium fit à cognitione sui, quam efficit Gratia, Fides, & Examen.

Anthropus, sive homo peccator. Gratia in persona Tabellarii. Fides in persona Janitoris.

Gratia. Nubila, lurida, squallida, tetrica,

Terribilis nox! . . . (a)

Heu! tantis involuta tenebris

Domus infelicissima! . . .

Est tamen, est ipsissima,

Cujus pulsare januam jubetur Gratia

Imperii Divini nuntia . . .

Vah! Ostiarius dormit in atrio!

Surge, surge, qui dormis!

Fero litteras ad Patrem familias.

Fides. Importune! nemo est domi:

Quid frustra me excitas?

Gratia. Fallor! an vocem fratris audio?

Fides. Fallor! an Gratia loquitur in hoc tabellario?

Gratia. Salve Fides!

Fides. Salve Gratia! Fidem adjuva.

Languore & otio pæne emarcui:

Adeo his in ædibus evilui.

In atrio utcunque me sustinent:

Si moveo me, omnino ejicient.

Aria.

(a) Exhibetur domus tenebris involuta, & in ejus atrio dormiens Fides, quam excitat Gratia.

Principium & Occasio.

23

Aria.

Olim erant tempora, (b)

Fides cùm consilia

Omnia regebat :

Nemo, nisi Duce me,

Nisi imperante me,

Nemo se movebat, *Olim!*

2.

Nunc (*O mores!*) cerebrum, (c)

Status, sanguis, commodum,

Lucrum audiuntur!

Fidei Dictamina

Sunt puerorum regula:

Vana sunt : spernuntur. *O mores!*

Gratia. Movet me tua afflictio.

Sed feret remedium, quod spero;

Hæc Epistola, quam ad Anthropum fero.

Fides. Dixi : abiit homo extra se, cum tota familia:

Nullum est pratum, quod non pertransit Luxuria, Sap. 2.

Nemo est domi.

In ipsa domo, præter externam hanc speciem,

Non est relictus lapis super lapidem.

Inimici domestici everterunt omnia :

In Ferarum domicilium area transiit,

Anthropo, quia rarissimè introspicit se,

Vel dissimulante, vel penitus ignorante.

Gratia. Inclamabo hominem, & revocabo.

Tu à me *Lumen* accipe, ut, cùm redierit in se, (d)

Videat, paveat, horreat se.

Fides,

(b) *Fustus meus ex fide vivit.* Hebr. 10. (c) *Filius hominis veniens putas, inveniet fidem in terra?* Luc. 18. (d) *Lumen ad revelationem.* Luc. 2.

Fides. Divinum est Consilium. Sui cognitio
Conversionis Principium erit Anthropo.
Intröco : Lumen infero.

Gratia. At Sapiencia foris prædicat, Prov. 1.
In plateis dat vocem suam.
Anthrope! Ubi es? ubi es? Adam ubi es? Gen. 3.

Anthrop. Vocantem audio. Quis me?

Gratia. Anthrope! Anthrope!

Anthrop. Adsum! quid postulas me?

Gratia. Superi! an monstrum video *Africanum?* apage!
Ego hominem quæro, tu homo non es!..
Anthrope! Ubi es?

Anthrop. Aut cæcus, aut nebulo es!
Quis enim sum, si homo non sum?

Gratia. Bellua es, homo non es.

Aria.

Est facies plena horrore!

Quis videat sine terrore?... (e)

In capite *Taurus* succrescit,

In oculis *Draco* livescit,

Suillum in rictum se porrigit os:

In ore sunt dentes *Canini*,

Pro digitis ungues *Lupini*:

Ad *fenum* te pronus inclinas, (f)

Hoc pabulo ventrem saginas:

Nec aliud cogitas cælum, quàm bos!

Bellua es!

Homo non es!

Anthrop. Inferi! hanc ego fero impudentiam?

Gratia

(e) Ex hominibus abjectus est, & fenum, ut bos, comedit. Dan. 4. (f) Omnis
Caro fenum, Isa. 40.

- Gratia.* Laudo patientiam, & muneror etiam. (g)
Mentitus nihil sum. Ecce speculum! inspice!
Sed oculos Christianos, non Ethnicos adhibe.
- Anthrop.* Heu me! qualem me video?
- Gratia.* Ah homo non es! fuisti!
Sed, cum in honore esses, non intellexisti!
Comparatus es jumentis insipientibus,
Et similis factus es illis. Psalm. 48
- Anthrop.* Tu verò quis es?
- Gratia.* Ex hac Epistola intelliges. Tolle, lege!
- Anthrop.* Ceram Domini video.. totis artibus trepido..
Et nuntius disparuit!.. suspicor! Janitor!....(h)
Huc Lumen admove.
- Fides.* Accensum est: ingrediere!
- Anthrop.* Heu me! heu me! nova confusio!
Hæc domus est mea? hæc habitatio?
- Fides.* Talem fecit incuria, & dissimulatio.
- Anthrop.* Bene, bene domus hæc convenit bellux, (i)
Qualem exhibent istæ tabulæ.
Anthrope, circumspecte: ubi es? ubi, & quis?

Aria.

O mea lumina,
Ite in flumina!
Et amarissima
Fundite maria!
Mergite me!

Med. I.

D

Nun-

(g) Pro speculo offert tabulas Decalogi. (h) Exhibetur domus conversa in silvam incultam, cujus consideratio fit per examen conscientia. (i) Inspicit speculum, hoc est, se, & silvam, hoc est, malos habitus suos, de quibus proverbium: *intr in antiquam silvam.*

Conversionis S. Augustini

Nunquam erit lachrymā
Dignior materia:
Anthrope, fle!

2.

Hæc mea dignitas,
Hæc est nobilitas:
Omnes, omnes aliæ
Simplices sunt belluæ:
Nulla est composita,
Præter me!
Monstrum es! Anthrope, fle!

O speculum non fallax! O lumen terribile! . .
Nescio tamen quid terribilius
Minantur istæ litteræ.

Amice, prælege:
Audiam, quid exprobet Dominus,
Domine, argue! argue!

Fides. O pretiosæ lachrymæ! . . ut fluant uberius,
Audi, *Hoc dicit Dominus:*
Quid invenisti in me iniquitatis, ut elongares à me, Jer. 2.
Et ambulares post vanitatem?

Anthrop. Peccavi!

Fides. *A seculo confregisti jugum meum,* *Ibid.*
Rupisti vincula mea, & dixisti: non serviam!

Anthrop. Peccavi nimis!

Fides. *Tetendisti adversus Deum manum tuam,* *Job. 19.*
Et contra Omnipotentem roboratus es!

Anthrop. Mea culpa!

Fides. *Cucurristi adversus me erecto collo,*
Et pingui cervice armatus es!

Am.

Anthrop. Mea culpa!

Fides. Oblitus es mei, & projecisti me post corpus tuum! Ez. 23.

Anthrop. Mea maxima culpa!

Fides. Scito, & vide, quia malum, & amarum est, Jer. 2.
Relinquere Dominum Deum tuum!

Anthrop. Ah malum, & amarum!

Fides. Orientur in-domo tua spine, & urticae: Isa. 34
Et erit cubile Draconum,
Et pascua Struthionum,
Et occurrent demonia.

Anthrop. Video, paveo, horreo,

Fides. Dixisti: dives sum, & locupletatus, Apoc. 3
Et nullius egeo: & nescis, quia tu es miser,
Et miserabilis, & pauper,
Et cecus, & nudus!

Anthrop. Nescivi, erravi,

Quia me non inspexi, non examinavi.
Fides. Usque quod gravi corde, diligis vanitatem, Psalm. 4.
Et quaeris mendacium?
Convertere ad Dominum Deum tuum!

Anthrop. Miserere Miserator Domine!

Fides. Conturbata sunt ossa mea,
Et anima mea turbata est valde!* Psalm. 6.

Fides. Felix turbatio! bona sunt initia:

Videt, & horret Anthropus sua flagitia.

Tanti est, se in se colligere,

Se serio inspicere.

Qui extra se semper peregrinantur,

Nunquam sanctificantur.

¶ Clauditur.

D 2

Aria.

*Conversionis S. Augustini**Aria.*

Quid juvat per astra vagari?
 Quid maris profunda scrutari?
 Quid terras peragrarè,
 Et curioso oculo,
 Quæ rerum sit conditio,
 Ubique perlustrare,
 Et se negligere?

2.

Tu tibi sis maxima cura,
 Non cistæ, non cellæ, non rura:
 Scis, quid in his agatur: ...
 Ne minùs cures, obsecro,
 Ut scias, quid in animo
 Peccatum moliatur:
 Te, te ingredi.

PUNCTUM II.

Disputationis Effectus.

SCENA I.

Augustinus. Nebridius. Potitianus. Romanianus.

Augustinus. Cessa, frater: nondum plenum matri gaudium
 feres. Nav. Axioma, quod te perdidit, damnas, & ami-
 corum admittis consilia: bonum initium facis. Aug. Detestari
 falsum, bonum initium est, fateor: sed nisi inveniam verum,
 solatium leve. Et heu! propè periit Spes omnis mea, quando
 & in Fausto deceptus sum. Nebr. Spes in Africa periit, in Eu-
 ropa quæramus. Pot. Ut ego libenter huic disputationi adfui!
 Augu-

Augustine, quàm diversam à Catholicis Doctrinam Manes habet! quanta audiavi absurda! nihil simile Roma docet. Eja! rectà ad mare! *Rom.* Ego hucusque contrarius, jam & ipse te urgeo: proficiscere, & meliorem tibi Doctorem quære. *Aug.* Romaniane, ego tibi magnus debitor sum: gaudeo, quòd per me videas falsum, quod ego video: opto, ut sit, qui utrumque doceat meliùs. *Rom.* Si invenias, trahes me, ut tesequar. Sic enim existimo: in illa Secta, quam neque illius principes contra impugnantes tueri possunt, non est prudentis, velle vivere, minùs, velle mori. *Nebr.* Rectè judicas, & qui aliter agunt, nimirum quærunt sibi fidem conformem suis moribus, quantumvis resistat ratio, & postulet, ut, si sancta est fides, qualis utique esse debet, si est à Deo, curemus mores esse conformes fidei. *Aug.* Displicet nunc equidem Manichæorum hæresis, cùm video, me à dubiis extricari à nullo posse: non tamen ideò Fides Catholica ex integro placet. Docetis multa, Potitiane, quæ æquè parum mihi videntur digna fide, quàm quæ in nostris carpitis. Unum ex multis profero: dicitis, Deum esse corporeum, potèstne aliquid absurdius dici? *Pot.* Hem! quis hanc nobis affingit calumniam? *Aug.* Vos utique, qui dicitis, hominem factum esse ad similitudinem Dei: sequitur, planè Deum habere corpus, ut homo habet. *Pot.* Homo secundum animam, Augustine, imago Dei à nobis dicitur, non quoad corpus. Sed ego indignor loqui. Est hoc consuetum hæreticorum stratagemata, quòd, cùm fidem nostram videant inexpugnabilem esse solidis argumentis, mendaciis contemptibilem faciant. Romam, Romam, Augustine, pergamus: intelliges plura, quæ te Doctiores viri docebunt. *Aug.* Sit igitur, navim paratam habe: Ego valedico Melaniæ. Seduxi miseram, & mecum in hæresin traxi: dedocenda est, ne ex iisdem principiis porro vivat, & ego perditionis reus sim. *Pot.* Abire non

finet. *Aug.* Relinque hoc mihi; persuadebo, ut finat. Juvar, ut sciat, se mecum deceptam à Fausto esse. Atque, ut videas, rem sine dolo me agere, ultimæ allocutionis testem fratrem, & Nebridium volo. Vos non finetis, ut vincar. *Nebr. Nav.* Quantum possumus. *Pot.* Breves este. *Nebr.* Curabo. *Pot.* Tu verò dic jam, quo es animo post Faustum auditum, Romaniane?

S C E N A II.

Potitianus. Romanianus.

R*omanianus.* Hoc ego nunquam putâssem. Nam, quæ est hæc audacia impudens, sic palam mentiri, & Faustum istum describere omni doctrinâ cultissimum! Credebam Apollinem me auditurum ex tripode, aut hominem certè Salomoni non disparem: tanta expectatio fuit. *Pot.* Video te tædiò turbidum. *Rom.* Nempe Potitiane, si iste Faustus Sectæ nostræ fundamentum est, video totam in arena fundari. Prò, ut miserum Augustinus exagitavit! *Pot.* Miserum vocas? Non tibi facundia, non morum urbanitas, non dulcedo verborum placuit? Meministin', ut amicè salutatum Augustinum allocutus sit gravibus verbis, & grandem ægrotum vocaverit, cui proin opus esset etiam medico grandi? *Rom.* Ipse helleboro indiget. *Pot.* Deinde quàm dulce exordium fuit! *Rom.* Turbatus es, Augustine, aiebat, sed Dominus JESUS, ò nomen suave! Confide! Dominus JESUS per me dissipabit nubes, quibus tegitur cœlum tibi. Mihi ista verba jam lacrymas proliciebant, solatii testes, ac bonæ Spei. *Pot.* Amice, omnium, quos vidi, hæreticorum hæc lingua est. Semper Dominus JESUS in ore est, sed sono tenus est, & strepitu linguæ. (a) *Viscum conficiunt ex commixtione syllabarum dulcissimi nominis, homines superbe delirantes, carna-*
les.

(a) L. 3. Conf. c. 6.

*les, loquaces, in quorum ore laquei diaboli. Rom. Væ! væ! quibus gradibus deductus sum in profunda inferni! & quando me Faustus sefellit, cui jam credam? (b) Pot. Blanda verba, vultus congruus, decorum eloquium, & quodam lepore naturali jucundum, etiam me delectabat initiô; sed quia attendebam ad cibos, quos apponebat, & non ad vasa, in quibus ministrabat, adverti, animam non satiari. Hinc curiositati successit fastidium, maximè cum urgente Augustino vidimus omnes. hominem, exceptâ Grammaticâ, omnium artium Liberalium imperitum esse, & præter aliquas Ciceronis Orationes, ac pauculos Seneceæ libros, propè nihil legisse. Rom. Docti viri famam garrulitas peperit: nunc patet. Sed ego, quid jam? Pot. Exemplum Augustini ante oculos habes: ducem inquit, cui tutius, quàm Fausto, se credat, & inveniet apud nos. Solis Ecclesiæ Catholicæ Doctoribus dictum est: (c) *Qui vos audit, me audit.* Rom. Nisi etiam ista jactantia est. Nam hoc est, quod nostri maximè in Catholicis improbant: asseritis summa mysteria, vultis illa simpliciter credi, & non probatis: difficile postulatum est. Pot. Imò facillimum intelligenti. Non est imprudens fides, qua credo, quæ capi non possunt: reddere possum rationem prudentem, interroganti, cur credam. Rom. Quam verò? Pot. Credo, quia, quod credo, Deus locutus est, qui est Veritas. Rom. Profectò prudens ratio, si certus sis, quòd locutus sit Deus. Pot. Testem habeo, qui nec falli, nec fallere potest. Rom. Nomina mihi. Pot. Ecclesia Christi est testis. Rom. Admitto si tot inter Ecclesias ostenderis, quæ sit Christi. Pot. Prudenter dubitare non possum, quin sit Romana: neque enim est alia, quæ habeat signa certiora, ex quibus prudenter æstimem, quòd præferenda sit huic. Aut age, da mihi aliquam, quæ sit aut antiquior tempore, aut doctrinæ unitate constantior, aut*

pro-

(c) *Luc. 19.*

propagatione illustrior, aut denique sanctitatis laude Christo Auctori suo gloriosior, quàm sit Romana: & ego deserta hac, hodie ad illam transibo. Interim hoc conficio, aut nullam esse in terris Ecclesiam Christi; aut Romanam esse. *Rom.* Non ineptè concludis, sed ego, quid facturus sit Augustinus, expecto. *En Alipius.*

S C E N A III.

Alipius. Potitianus. Romanianus.

A*lipius.* Potitiane, quousque trahimus moram? expande vela, navigemus. Video, vana spe fuisse illusum nobis.
Pot. Novum narras malum. *Rom.* Quasi diceres, Augustinum non abiturum vobiscum. *Al.* Est, quod dicebam. Sperabat animo satisfieri per Faustum posse: prætextus fuit. Succubuit Faustus: jam patet causa, quæ hominem in Africa tenet. Heu! vicit amorem Sapientiae amor mulierculæ. *Pot.* Prò! dedecus! *Rom.* Hem! adhuc triumphat Manes: *Prava virum natura cogit!* *Al.* Blasphemiam cessa! non est natura, quæ cogit, sed pessima consuetudo vim infert volenti, & pugnam pertæso, in qua vim vi posset repellere. *Pot.* Credebam, effecturum te apud puellam, ut sineret non invita discedere. *Al.* Jam effeceram, cùm ecce! victor Fausti ingreditur, & ut vidit Melaniam flere, (nam ita mihi Deus inflammaverat animum, & linguam direxerat, ut atrocissimis coloribus vitæ turpitudinem, animæ periculum, Deum iratum depinxerim, ac præcipuè sceleris gravitatem, si Augustinum meliora cogitantem ab itinere Romano averterit, adeò ad terrorem exaggeraverim, ut tremebunda, ac lacrymans nihil se contra moturam promiserit) miseretur, intelligit causam, & mox aliam contra me disputationem orditur, & thesin propugnat, quam piæ aures horreant: *Negat, vivi castè ab eo posse, qui velit beatus vivere.* (d) *Pot.* A Lo-
 gica

gica Augustini libera me Domine ! quod est hoc novum axioma animale, nefandum, diabolicum ! Superi desperate ! nunquam vester Augustinus erit, si hanc sententiam tenet. *Rom.* Contrarium utique propugnaveris tu ? *Al.* Humana, ac divina testimonia attuli, ratione pugnavi, meam ipsius experientiam allegavi, deridet omnia : negat beatum me esse, & castum tamen. Quin suis me paralogismis ita implicuit, ut propè amem sordes, quas abominor : demum fugere malui, quàm ultrà contendere cum tanto periculo. Nebridius, & Navigius adhuc cum ipso declamant. Ego amicum abdicō : tædet morarum tandem : solus propero ad aram veritatis, quam Romæ quæro, ne fatigem patientiam Numinis, & poenas cum ipso luam. *Pot.* Me miseret tanti viri : divinum ingenium immersum lacunæ non emerget ad ardua, non se eriget ad divina. *Al.* Utique. Et sepulta in cœno margarita non splendet. Postquam errores Manetis agnovit, jam, ut sit Maximus, præter cultum castitatis, desideres nihil. *Rom.* Natura sanè dona in hominem plurima, & maxima contulit, id quod me ad beneficiendum permovit. Amoena est indoles, facies liberalis, eloquium suave, animus magnorum facinorum & capax, & avidus, ingens cupido sciendi, intellectus lux mera, memoria ex asse fidelis, eruditio summa, vis in disputando invicta, facundia efficax, & semper triumphans. *Al.* Ex fonte tam claro, tam pleno quanta possent bona in utramque rempublicam fluere, nisi hæc macula pollueret ! *Pot.* Romaniane, ex hoc fructu cognosce arborem. Hæresis talia inspiravit axiomata : en effectum. *Rom.* Dolendum. Sed quid consilii est ? *Al.* Augustinus degeneravit in animal : quid consulemus ? *Rom.* Desperas ? *Al.* Nihil supra verum dixi. Intellectus & voluntas hominem ab animali distinguunt. Considera in Augustino utramque potentiam : in judiciis suis regitur ab apprehensione, non

E

à discurs-

à discursu, in desiderijs ab appetitu rapitur, non à decoro: con-
clude, quid differat, & spera remedium. *Pot.* Heu! quanta
mala unum post se trahit malum axioma, si quis illud semel pro
regula suscipit! Mihi hoc mirum videtur, fieri posse, ut vir
prudens aliquando suscipiat principium rectæ rationi tam adver-
sum, quale est hoc: *Non esse nos, qui peccamus, sed pravam in
nobis peccare naturam.* *Al.* Cum ipso Augustino hanc nuper
quæstionem habebam, & ille, ut promptus est, tres causas
assignavit, præjudicia, simplicitatem, & malitiam. Præjudicia,
ajebat, nascuntur nobiscum, vel certè educantur: unde fit, ut,
quod à teneris pro vero coluimus, vix patiamur unquam exa-
mini subjici, aut in suspicionem falsi vocari. Simplicitas facit,
ut ne dubium quidem occurrat: unde ignorantia talium mise-
ria est magis dicenda, quàm culpa. Malitia illis est propria, qui
datâ operâ errant, & studiosè conquirunt argumenta, quibus
tueantur errorem, vel ne videantur errasse, quod superborum
est vitium, vel ne ex erroris cognitione urgeantur, ut vitent,
quod amant. Et in hac ultima classe Augustinum pono: dicit-
te, quid potest sperari? tempus perdimus: *Potitiane*, jube
signum discessus dari, ut convenient comites. *Pot.* Excidi ma-
gna spe, & triste sine Augustino est iter. Tamen, quoniam
ita vult infelix, age nauta, signum ad abitum cane. *Rom.* Et
ego quid agam? propè in portu fui: in medios fluctus nova
fluctuatio retrahit. *Pot.* Te hominis tam pessumdati auctori-
tas movet, ut ames mendacium? non quis, sed quare
aliquis exequi nolit, quod statuit, considerare in
eo debes, quem tibi imitandum proponis. *

SCE.

* tuba canitur.

SCENA IV.

Accedit Nebridius.

N*Nebridius.* Eja! in tempore venio. Itane sine me? sine Augustino? *Al.* Age, mutatus es, an ibis mecum? *Nebr.* Desine querelarum: & vos audite, obsecro, rem miram valde. Foemina, quæ ferè malorum omnium viris causa esse solet, hodie per accidens bonum fecit. *Pot.* Attentus sum, quid velis. *Rom.* Et ego avidus. *Al.* Nugas dices! *Nebr.* Jucundissimam veritatem. Tandem decretum est, Augustinus Romam ibit. *Pot.* Hodie? *Nebr.* Hodie. *Rom.* Sinet fœmina? *Nebr.* Ipsa urget. Alipi, magnum ad resolutionem momentum tua austeritas tulit. Commota jam ante puella, ut te vidit irasci serio, & adeò amicitiam scindere, ac abire, intelligere cœpit stultitiam Thesis, quam posuerat Amasius, non posse se beatum vivere, & castum simul. Cum gemitu gravi, Augustine, clamavit repente, ego contrarium experior: misera sum, quia casta non sum! *Al.* Bonum narras. *Nebr.* Vox attonuit hominem, siluit, & ego converso in Navigium aspectu, argumentum est ad hominem, tacitus insusurro, urge, quæso. Ille mox litteras à Matre profert, ac legendas Melaniæ tradens, potes, inquit, à miseria liberari, nam posthac tibi molestus non erit frater, uxorem ducet: sic mater petit. *Rom.* Expavit mulier? *Nebr.* Nihil, sed oculis cœlo fixis illacrymans dixit: sint laudes Deo! à promissa te fide libero. Addit, per Augustinum si stetisset, vitam se pridem aliam amplexuram fuisse. Iret Romam, aut duceret uxorem, perinde sibi fore. *Rom.* Hæc mihi puellæ audaciâ placet. Quid autem ad hæc ille? *Nebr.* Erubuit. Instabat ipsa, ut, quoniam putaret vivi beatè non posse sine fœmina, uxorem duceret. Nihil. Suspensi silentio expectabamus,

bamus, quid demum ageret, cùm sonuit optata vox : Melania, aut te, aut nullam duco : hæc fides data est, hanc servabo. Nunc, quoniam non displicet consilium tibi, Romam eo : ibi, postquam invenero, quod frustra sperabam à Fausto, verum, quid concluderim, scribam. Hæc accepta conditio est : ego inter mutuas gratulantium voces festinavi lætitiæ vos participes reddere. *Al.* Sint grates Superis ! hæc resolutio magni operis principium est. *Pot.* Felix sum. Citò nautæ, signum alterum date, & explicite carbasæ ! *Rom.* Jam ipse adest.

S C E N A V.

Personæ Omnes.

Augustinus. Salvete amici ! tandem decretum est ire Romam, quanquam inter spem, & metum eo. *Pot.* Eja, tertium tuba sonet. Conscende navem victor Fausti, & quod magis gratulor, victor tui. *Rom.* Et ibis sine me ? non teneo, sed si quid merui, consilium da, quid faciam deceptus à Fausto, desertus à te ? *Aug.* Mæcenas optime ! Romam consilium dabo : si mihi bene erit, suadeo, ut me sequaris. Vale. *Nebr.* Illatæ sarcinæ sunt suo loco, & expediti remiges non faciunt moram. *Al.* Conscendimus. Amice, quanto me beasti gaudio, quod tecum venias ! *Nav.* Vale frater ! & perge felix, dum teneas portum. *Aug.* Suspiro ! vale. *Pot.* Solvatur funis ! *Nav.* Quid dicam Matri ? *Aug.* Ne parcat lacrymis. *Nav.* Quid ita ? nondum igitur te adjunges Catholicis ? *Aug.* Nondum sanè. Sed jam cessavi Manichæus esse : hoc nuntia. *Nav.* Tantæ molis erat, res tantilla. *Rom.* Parum est : tamen non est nihil. *Nav.* Lætum nuntium Matri feram.

O. A. M. D. G.

MEDI-

MEDITATIO II.

CONVERSIONIS

PROCRASTINATIO.

ARGUMENTUM.



X Africa delatus Romam Augustinus, quamvis prava axiomata, quibus eum hæresis Manichæa imbuerat, jam detestaretur, non tamen ideò statim amplexus est Fidem Catholicam, etiam postquam illum Deus gravi morbò castigaverat, ex quo, si obiisset, fatetur ipse, se rectà ad inferos delcenturum fuisse. Causa pertinaciæ procrastinatio, seu negligentia fuit, qua de die in diem differebat negotium indagandæ veritatis, partim, quia obstinaverat animum, ut nihil crederet, nisi demonstraretur, partim, quia vanæ gloriæ cupidinè captus in agendis causis, & ostentandæ eloquentiæ curis bonum tempus terebat, tantò utrumque animæ suæ malò, ut ad Academicos defecerit, qui *omnia esse dubia* docuerunt, & solus eum *timor future vitæ*, cujus assertionem *saltem esse probabilem* negare non poterat, coërcuerit, quò minùs Epicureis se jungeret. Talis erat, cùm eum Optimus Deus nihil tale cogitantem S. Ambrosii curæ commisit: nam Mediolanenses Rhetoricæ Doctorem tunc Româ petebant, & Symmachus urbis Præfectus Augustinum huic officio destinavit, amabili Divinæ Providentiæ consiliò, quò proximè adorabimus. Ita rursus ipse l. 5. conf. c. 9. & seq. Hodiernæ ergò Meditationis erit

- Materia:* Augustini in negotio salutis Procrastinatio, & negligentia.
- Puncta duo:* Primum, unde Procrastinatio veniat, Secundum, quò ducat.
- Fructus:* Correctio voluntatis pigre, quæ bona proposita differt exequi.
- Propositum:* Examinare se, in quo quisque piger fit circa declinationem à malo, aut operationem boni, & in specie adhuc hodie per aliquam sui victoriam vitæ emendationem incipere.

Personæ.

S. Simplicianus.

S. Augustinus.

Alipius Nobil. Afer.

Symmachus Præfektus Romæ.

Nebridius August. Familiaris.

PROLOGUS.

Reflexio in Meditationem præteritam, & Præparatio ad Præsentem. (a)

Anima meditans. Angelus explicans.

Anima. ANgele, fructum habuit prima Meditatio:
Adhuc se movet, & concutit me *mei cognitio.*
Adhuc hæret memoriæ
Vitæ hucusque actæ Compendium nobile:
Multa mala feci, parum boni,
Et hoc ipsum parum bene!
Tædet! pudet! pænitet me!

Aria.

(a) Liber conscientia exhibetur.

Aria.

O Homines! ô Cælites!
 O si me, si nôssetis!
 Quid de me (ô pudenda res!)
 Quid de me sentiretis?
 Et ego, si nôssetis me,
 Quò fugerem? quò irem?
 Ah! pudor in infernum me
 Protruderet, & irem!

2.

Nunc ecce! Tu, tu nôsti me,
 Tu fibras inspexisti,
 O Deus meæ animæ!
 Et quid? ah! quid vidisti?
 Vidisti fæda scelerum
 Portenta, quæ patravi:
 Et tuum ego oculum,
 O scelus! non curavi!

Angelus. Optimè à dolore, pudore, & tædio pœnitentia incipit:
 Sed in dolore, pudore, & tædio minimè desinit.
 Agnoscere morbum, & fateri,
 Nondum est, morbo mederi.
 Remedium est adhibendum,
 Atque, si opus sit, igne ac ferro utendum.
 Est insuper *in mora* periculum,
 Nec curatio difficilior, quàm quæ tardior.
 Memento, quod monui.
 Voluntas, quæ adhibet media ad finem *noxia*,
 Est voluntas *perversa*,
 Quæ negligit, aut differt *utilia*.
 Est voluntas *pigra*:

Per-

Perversa te potest damnare,
Pigra non potest salvare,
 Quia, qui hodie non potest se vincere,
 Cras poterit minus :
 Expertus est Augustinus.*

Aria.

Hanc ecce ! hanc viro ahenam
 Dilatio cudit catenam,
 Rumpendam facilè,
 Si voluisset rumpere,
 Priusquam per flagitia,
 Ut repetita verbera,
 Coërant annuli.

**Praeludium.*

Nunc dolet, nunc gemit, nunc orat:
 Nunc suam miseriam plorat:
 Nunc erit opus vi:
 Et vœ ! vœ homini !
 Nî Deus per fortissimam,
 Ac *triumphantem* gratiam
 Adsit conatui.

Habes, quod consideres.
 Fructus, quem ferat Meditatio,
 Hæc sit conclusio:
Quod aliquando faciendum est necessarium,
Et fieri potest hodie,
Fiat hodie !

Anima. Promptus est Spiritus, sed caro infirma,
 Et horrore laboris anxia,
 Urge me!

Angelus. A cælo opem expete.

Aria.

Aria.

O Timor, sancte timor,
De caelo descende!

Anima. O Spes salutis, timor
Te mihi impende!

Angelus. Confige carnes stimulo!

Anima. Infige calcar asino!

Ambo. Excute socordiam,

Urge diligentiam,

A malo retrahe,

Angelus. Et viam mandatorum

Anima. Hac hora, sine mora

Me cogere currere!

MEDITATIONIS II.

De procrastinatione Augustini

PUNCTUM I.

Procrastinatio unde venerit.

SCENA I.

Alipius. Nebridius.

Alipius. Dixi, Nebridi, nunc tempus non est, Simpliciano loqueri. Credo, virum esse, qualem mihi describis, & gaudeo venisse in tuam notitiam. I, loquere illi de nobis etiam, post paulum sequar, & Augustinum mecum adducam. Nunc adeundus est Praetor, & precibus rursus urgendus, ut meminerit mei, cum locus vacabit in curia. Nebr. Atqui post paulum fortasse redibit Mediolanum Simplicianus, & rursus perit

Med. II.

F

occafio

occasio inquirendi verum, cujus tamen causâ ex Africa adsumus. Alipi, da veniam, si sensum animi aliquantò acerbius prodo. Proditis me, & vos, vestratam longa procrastinatione. *Al.* Vide, ne sine causa effervesca. *Nebr.* Ecce sine causa! amice, ut sciamus, quæ vera sit fides, & qua via ad beatitudinem eatur, salutis æternæ interest: & tu metuis, ne efferveam sine causa! valete! ego Simpliciano me jam addixi discipulum: cum ipso Mediolanum ibo, ut fruam cum otio. *Al.* Quis impetus? expecta paululum. *Nebr.* Tu expecta hîc ad istas fores, quantum voles. Mihi pretiosa momenta sunt, quibus occasio se offert operandi bonum, quod animæ prodest. Ah Alpi, si vel solas horas, quas expectando perdidisti, impendisses studio Sapientiæ, cujus tantum amorem prætefers, quàm propè abfores à summo vertice! *Al.* Quid faciam? rogari Magnates volunt, ut gratiam æstimes, quam concedunt. *Nebr.* Tanti est, Assessorem in curia fieri, ut ideò cura salutis sit habenda neglectui? *Al.* Differo paululum salutis curam, non negligo. Prior est Officii cura, non tamen major. Scio, quid deceat. *Nebr.* Quærendo *Officium pro Alipio*, negligis *Officium hominis*, hoc decet? *Al.* Non negligam, mi Nebridi, audiisti utique, non negligam: *differo paululum*, ut postea ferventiùs curem. *Nebr.* Vah! ita prorsus, ut Augustinus. Nuper, cum ægrota- ret ille ad mortem, monebam, ut nunc saltem angeretur pro anima, respondit: nunc vacandum est corpori: cum sanabor, cogitabo de anima. Sanatus est, redeo monitor, ait: *sine paululum!* dicenda est Imperatori panegyris: postea tibi obsequar. Oratio dicta est, & Oratori applausum: iterum adsum, & ipse, cras, ait, faciam, quod voles: hodie respirandum est *paululum* à labore, & ambulatione cum amicis animus à contentione remittendus. Adest altera dies, cras, inquit, redi, hodie discipuli urgent: habe modicam patientiam. Ah! jam istud

istud modicum non habet modum, & istud paululum non habet finem. Si hodie redeam, dicet fortè: sine modò, donec uxorem ducam, tunc cogitabo: aut fortè nescis tu, quòd jam cælibis vitæ consilium abjecerit Augustinus? *Al.* Ah! scio, neque obiter me affligit ista levitas viri. *Nebr.* Multum erit, nisi trahat etiam te in eandem sententiam. Hi fructus procrastinati propositi sunt. Ardebat veritatis desiderio Augustinus: damnaverat axiomata prava, quibus mores corruerat: ut meliora intelligeret, festinavit Romam. Adest Romæ, dies ivit è die, negotia se cumulârunt, curæ aliæ super alias mentem distraxerunt, bonus animus dissipatus est, fervor friget, Augustinus idem est Romæ, qui fuit in Africa, neque fortasse unquam erit alius. Et tu, Alipi, istis insistis vestigiis miser, nec attendis, quòd ducant? vox corvi est istud *cras, cras*, qua nescio, an homo petulantius Deo, an stolidius sibi illudat. *Al.* Vehemens oratio est. Si tamen nos amas, Nebridi, persuade Simpliciano, ut diutius Romæ se teneat. Cùm vacabit, ambo adibimus. *Nebr.* Vultis, ut præter vos, & Deum, etiam sit tertius, cui possitis illudere? vana spes est: ego provideo mihi. *Al.* Sed fores crepant. *Nebr.* Hem! fallor, an video Simplicianum! Alipi, occasio est! *Al.* Gaudeo.

S C E N A II.

Symmachus. Alipius. Simplicianus. Nebridius.

S*Ymmachus.* (a) Curabo, ut istis questibus Episcopi tui respondeatur, quod oportet. Est vir inquietus, & qui nescit, quis Symmachus sit. *Simpl.* Ambrosio Deus ante oculos est, Prætor: ab hominibus nihil cupit, nihil timet. *Symm.* Opportunè hîc ades, Alipi, quid petis? *Al.* Memoriam mei, Domine. *Symm.* Recordor. Sed modò Augustino loquendum stes Si vocas ad me contubernalem, obsequium facis. *Al.* Fa-

(a) *Literas Ambrosii legens.*

F 2

ciam,

ciam; ut momentò adsit. *Nebr.* Amice! *Al.* Sine modò: properandum est propere. *Nebr.* Expecta paululum saltem. *Al.* Cessa, inquam. Audisti, vocandum Augustinum Prætori. *Nebr.* Omitte nunc: *cras* vocabis. *Al.* Absurde! quid diceret Symmachus? *Nebr.* O hominem industrium, qui prætori tam celeriter obédit, & Deo tam lentè! *Al.* Pungor. Sed! ita postulant res meæ.

S C E N A III.

Simplicianus. Nebridius.

N*Nebridius.* Et quid postulet salus tua, non attendis? *Simp.* Video te zelo bono ardere. *Nebr.* Utinam salubri. Pater, iste est Alipius, de quo tibi heri! oro te, ut hic expectes, donec Augustinum adduxerit: juvabit, vel de facie nôsse invicem, & obiter colloqui. *Sim.* Gratulor mihi occasionem agendi cum amicis Nebridii. *Nebr.* Utriusque bona est indoles, & inveniendæ veræ fidei par desiderium in ambobus arsit. Hæc causa me illis per amorem conjunxit. *Simp.* Sanctus amor est, & dignum Sapientiæ studiosis desiderium. *Nebr.* Sed nempe desiderium *lentum, ac somnolentum.* quale est pigri, qui vult, & non vult. Sic, qui dormit, cum in clamatur, surge! redi post horam, respondet: sine modò! Post horam reverso, adhuc modicum, ait, nam grave est caput. Tertium repetitur clamor: surge! infertur lumen, trahitur stragulum, jamque se erigit Endymion, aperit oculos, surrecturus videtur, cum ecce! recidit, versatur in alterum latus, iterum dormit. *Simp.* Nempe quia molesta lux est, & frigus terret, calor tenet. Fortè eædem sunt causæ, quæ Alipio se, & Augustino objiciunt, quò minùs celeriter obsequantur vocanti Deo. *Nebr.* Alipium, Pater, solum Augustini exemplum, Augustinum verò plura

VIN-

vincula adstringunt spondæ, quæ quia, nisi per magnam vim non possunt rumpi, qualem ipse nec infert sibi, nec ab aliis inferri patitur, vereor, ne somnus tam diuturnus in fatalem lethargum abeat. *Simp.* Prudenter times, maximè si accedunt somnia jucundiora, & lepida, quibus sit, ut dormiens amet somnum, & excitari se, etiam irascatur. Quid ais? nunquam sic visus est tibi Augustinus quasi somnians loqui? *Nebr.* Ah! Pater, Punctum tangis. De nugis, de næniis, de gerris perpetuus sermo est: de seriis aut nullus, aut abruptus. Prorsus ut somniantes solent, jam plaudit, & jubilat sibi, velut qui Oratoribus cæteris palmam rapuerit, jam disputat acriter, & si quos fortè, ex rudioribus, credo, Catholicis secum congregari ausos vicerit, ferociter insultat, circumspiciens se, quasi orbem terrarum misisset sub jugum: jam denique de amoribus garrit, jocatur, impudenter etiam narrat, & jactat. *Simp.* Pessima somnia! conjecto proximum lethargi periculum: actum de vita est, nisi medicina efficax properetur. *Nebr.* Plura te juvat scire. Nuper senserat cum Manichæis: non esse nos, qui peccamus, sed pravam in nobis peccare naturam: nunc intelligit, falsum ac impium principium esse. Quid prodest? pertinaciter tuetur alterum: voluptates, ad quas inclinatur natura, esse facetias, quas homini luteo clementer indulgeat Deus, imò sine quibus vivi beatè non possit. *Simp.* Execrabilis sententia. Si quis exempla Scripturæ, & gravissimos textus contra objiciat, quid respondet? *Nebr.* Quod tu sine horrore non audies. Catholici, dicit, volunt omnia nudè asserentibus credi: demonstrent, quod asserunt. *Simp.* Cujus igitur nunc ipse est fidei? *Nebr.* Ad omnes indifferens. Cum Academicis sentit, perinde esse, quid quisque crederet: omnia enim esse incerta, ac dubia. Quin ausus jam est dubitare adeò, an non Epicurus præ aliis verum docuerit, cum hominis beatitudinem in voluptatibus

carnis constituit. *Simp.* Hic tu, mi Nebridi, non jam procrastinationis causas narras, sed funestos effectus. Ah! iste homo non jam differt, quod olim proposuit, bonum, sed jam desperavit consequi, & ipsum abiecit propositum. Cæterum ego ex hoc sermone jam novi virum, &, nisi fallor, mali pessimi originem video. Duæ radices sunt, superbia, & amor carnalis. Superbia intellectum excæcat: hinc vanæ gloriæ cupido, pertinacia iudicii, & æstimatio sui, solum se sapere super omnes credentis: amor carnis voluntatem infecit venenò, quo Spiritus projectus instar Epileptici volutatur in pulvere, amissis viribus, quibus se erigat. *Nebr.* Omnino hoc verum est Ectypon, & exactè correspondet Prototypo. Quid iudicas autem? nunquid desperata sanatio est? *Simp.* Difficilis utique. Sed qui triginta octo annorum paralytico dixit: *surge, tolle grabatum tuum, & ambula!* Jubet, ne desperemus de quoquam, cui vita superest. *Nebr.* Ecce ingreditur. Augustine, hic vir est, cui te colloqui velim.

S C E N A I V.

Augustinus. Simplicianus. Alipius. Nebridius.

Augustinus. Veneror Legatum magni Ambrosii, cujus tanta est apud Cæsares auctoritas, tanta virtutis laus, tanta Eloquentiæ gloria, ut fortè secundum Europa non habeat. *Simp.* Magna decora memoras, Domine, sed quæ Ambrosius nihil æstimat. Ut magnus sit apud Deum, unum est decus, quod ambit. Ego verò gratulor mihi, quòd Augustinum nòsse de facie liceat, postquam de insignibus donis audivi, quibus eum liberale Numen ornavit. Optandum, ut bonis dotibus bonus usus accederet (amicis mutua inter se dilectione colligatis audentiùs loquor) optandum est, aio, ut bonis dotibus bo-

BUS

nus usus accederet, qualis utique nullus est, nisi quem dirigit
 bona fides. *Al.* Nobis, Pater, jam diu bonæ fidei saltem de-
 siderium est. *Simp.* Sic mihi Nebridius vester, & laudo. Sed
 scitis, quod scriptum est: *desideria occidunt pigrum*, (b) imò
 etiam ipsa occiduntur per moram, & esse desinunt, cum diu
 nihil agunt. Opportunè alendus est ignis, & cudendum fer-
 rum, dum calet. *Aug.* Experior verum dici: calebam olim,
 nunc frigus medullas habet. Alia ex aliis negotia, curæ, ac
 tædia omne tempus rapuerunt, quod inquirendæ veritati im-
 penderem. *Al.* Neque hæc etiam hora est huic disputationi
 idonea: properandum ad Præsidentem: scis, vocatum Augusti-
 num esse. Curo moneri, quòd adsis. *Nebr.* Utinam iste sit
 æquè impatiens ad seria, ut est ad nugas! *Aug.* Tamen si esset
 spes inveniendæ veritatis, horam unam, aut alteram rogarem
 te, Pater, ut impenderes dubiis, quibus angor. *Simp.* Liben-
 ter, si tamen hodie velis: nam cras redeundum est Mediola-
 num. *Aug.* Omnino hodie te audiam, & utar occasione, quam
 sibi Nebridius adeò lætam accidisse prædicavit, ut videatur sibi,
 post longam jactationem, jam propè à portu esse. *Simp.* Ho-
 die tuus sum: quando me placet uti? *Aug.* Statim, cum re-
 diero à Præsidente. *Simp.* Novum laborem imperabit Præses,
 neque tu verbò stabis. *Aug.* Quemcunque imperet, differam.
 Hodie optatissimus labor est, loqui tibi. *Nebr.* Sic places.
 Nempe commodare negotiis nos debemus, non tradere. *Simp.*
 Stygii Pharaonis inventio est, opprimere laboribus mancipia
 sua, ne tempus habeant, quo de modo liberandi se cogitent.
 Sic miseri in circuitu ambulant, & præmium absoluti laboris
 est labor novus, mercésque finiti negotii, timor, ne aliud
 negotium non finiatur. Ita pereunt anni, & quid inferimus
 æternitati? *Aug.* momentosa est quæstio, si quidem post hanc
 vitam expectanda est alia. *Simp.* Dubitat Augustinus, an im-
 mor-

(b) Prov. 21.

mor-

mortalis sit anima? *Aug.* Timeo magis, quàm credo. *Nebr.* Ecce redit in memoriam cogitatio, quam nuper suggerebam decumbenti ad mortem. *Aug.* Heu me! Pater! si anima vivit post mortem, & ego ex illo morbo obiissem, ubi effem? cæterùm fortè hæc sunt terriculamenta excogitata, ut in officio vulgum contineant. *Simp.* Fortè autem sunt veritates, quibus impunè refragari non licet. *Aug.* Nisi demonstres ad oculum, non credo. *Simp.* Experiri mavis, quàm credere? aut num existimas, quòd per hoc desinant esse pænæ, quia tu esse negas? *Augustine,* non auctoritate, non rationibus laboriosè quæsitis urgeo: tuum ingenium consule: quæro, an demonstrare possis, quòd cum vita etiam anima desinat? *Aug.* Non possum. *Simp.* Dubitas igitur? *Aug.* Fluctuo in ambas partes. *Simp.* Satis est. Jam igitur sana ratio te obstringit, ne in dubio tanti momenti, mores formes ad normam sententiæ minùs tutæ. *Aug.* Stringis, & intelligo, quid velis. Si credo, animam nunquam mori, nihil hæc fides nocere potest: si non credo ista mihi infidelitas nihil potest prodesse, nocere potest æternùm: nunquid hoc est, quod dicis? *Simp.* Penetrâsti præmissas: infer conclusionem. *Nebr.* Sapientis est, credere, patet hoc consequi. *Aug.* Omnino videtur. Intelligo me incidisse in virum, à quo sperare remedium possim malo, quod premit. *Al.* Præfes prodit. *Aug.* Loquemur deinceps plura de his. *Simp.* Sed hodie. *Aug.* Hodie, & ibit Alipius mecum. *Nebr.* Sic places. *Simp.* Dona mihi has animas Deus! *Al.* Invenisse videris virum in Simpliciano, qualem descripsit Nebridius: nam incaluisse te cerno post frigus tam longum. *Aug.* nondum, Alipí, nondum deseruit nos patiens Deus, & ego abusum patientiæ timeo. Certè periculum in mora jam video, quale hæctenus nunquam: dubitare de omnibus nimis dubiam salutem facit.

S C E N A V.

Augustinus. Symmachus. Alipius.

S*ymmachus.* Augustine, scis, quanti te faciam. Memini, quæ mihi de *Discipulis tuis questus es* *sæpius*: (c) hodie remedium fero. *Aug.* Profectò gratiam magnam facies, optime Prætor: neque enim tolerabile est malum ultrà. *Quos mores, cum studerem, meos esse nolui, perpeti cogor, cum doceo.* Carthagine juvenes erant importuni, immorigeri, impudentes, qui proinde sicut in Academiam veniebant nullius disciplinæ patientes, sic redibant ad suos sine scientia, sine conscientia, sine pecunia: Romæ, etsi modestiæ laudem aliquam mereantur, tamen in hoc peccant atrocius, quòd *illis præ charitate pecuniæ, justitia vilis sit*: (d) quando enim tempus adest minerval promissum solvendi, repentè dilabuntur, & perfidè Doctorem destituunt. Odi serviles animas, nec fulgenti luto turpiter inhiantes dignas existimo, quibus labores meos impendam, utique nullo fructu, in solo sterili, & arenoso. *Sym.* Justa querela est: sed erit malo finis, si obsequiis, quæ præstitisti, hodie unum addideris, hodie tamen, nam cras serò facies, quod fieri velim. *Aug.* Audio, quid imperes. *Al.* Et ego sponsor sum, Domine, lentum in exequendo, quod jubes, Augustinum non fore. *Sym.* Neque facies sine fructu, si urges. Ecce geminam Epistolam. Hæc operam tuam exigit, ista præmium offert: Jam attende, quid velim. Petebam per litteras nuper ab Imperatore, ut everfam ab antecessore suo aram Deæ Victoriæ restitui sineret: sciebam, difficile postulatum esse, quod Principi Christiano faciebam: sed ita volebant Senatores, quorum multi, ut nōsti, adhuc adhærent Religioni Majorum, & colunt plures Deos. Ego ita stupidus non sum, Augustine, ut numerum inter Deos

Med. H.

G

admit-

(c) *L. 5. Conf. c. 8. & 12.* (d) *Ibidem.*

admittam: multò minùs ita barbarus, ut cogere te velim ad propugnandam stultitiam, quam ipse damno. Quàm certus sum dari Deum, qui hoc Univerſum gubernat, tam certus sum, eſſe unum, cui non detur æqualis alter. *Aug.* Sana ratio, Prætor, non finit te aliter judicare. *Sym.* Sic eſt: nam, ſi plures æquales ſunt, aut perpetua ſint inter Deos bella, neceſſe eſt, aut unum alteri ſubjici: quorum neſcias, quid ſit abſurdius. *Al.* Sapienter, Domine, & ego gaudeo, te ſic ſentire. *Sym.* Interea res meæ poſtulant, ut ſentire me ſimulem cum Senatu, cujus exemplum huc uſque adhuc pars major vulgi ſequitur, antiqui erroris retinens. Itaque placere volui: ideò ſuſcepi Patrocinium Deæ. Jam ſtupete audaciam Popæ unius. Contradixit precibus meis in aula nemo: non pauci etiam ſalubre conſilium, & utile Reipublicæ judicabant, ſi circa Religionem cui libet relinqueretur libertas & ſentiendi, quod vellet, & profitendi, quam inter tam multas mallet. Unus Ambroſius, cui, neſcio, per quem ſuboluerat conſilium, ferream frontem oppoſuit, ſcripſit ad Cæſarem, & exemplar Epistolæ per ſuum Presbyterum miſit ad me. Acerba eſt, viri tamen urbani, ac ſibi moderantis: cæterùm ſuccumbere Mediolanenſi Præſuli urbis Romæ Præfectum, moleſtè fero: ferendum erit tamen, niſi tu properes, Auguſtine, Eloquentiam Eloquentiâ retundere, & hominis in aula auctoritatem ſolida confutatione opprimere. Cape Epistolam, utere ingenio, artem, quam potes, adhibe, ſed hodie, nam feſtinatione eſt opus. Mandatum accipis glorioſum tibi: neque enim adverſarium clariorem unquam duces in triumphum, niſi cùm Ambroſium viceris. *Al.* Profectò, Auguſtine, non fuit occaſio alia jucunda magis, & idonea, ut oſtentes, qui ſis. *Sym.* Junge operam, ſi quid potes, Alipi, properate! mercedem uterque, quam volet, feret. *Aug.* Difficile opus imperas. Lego argumenta graviffima, & facun-

facundiam virilem, quæ rebus magis intendit, quam verbis. Cum gigante pugnandum est mihi. *Sym.* Æquè giganti. Exaggeras difficultatem, ut pretiosorem mihi tuum laborem facias. Sed confide: erit pretium dignum operæ. Festina modo: hodie volo responsum legere.

S C E N A VI.

Augustinus. Alipius.

A*ugustinus.* Tentabo vires. Alipi, ego neque istum virum intelligo, neque istud imperium amo. *Al.* Ego verò nolo tritari te: citò fede, stude, scribe: de meis agitur, & tuis commodis. *Aug.* Alipi, totus à te abiisti. In Africa unum veritatis, veritatis inveniendæ desiderium fuit: nunc solius commodi, commodi ac boni privati te cura habet. Unde mutatio? *Al.* Utique à te. Nam postquam de veritate inveniendâ desperavi tecum, quid superest, ut quæram, nisi commodum, & bonum privatum? & tu cessas? rumpe moram, quæso, Prætor urget. *Aug.* Festina lentè. Non est laudabilior mora, quam quæ trahitur in decernendo malo, in quod nos toties præcipit impetus, quem inanis pœnitentia sequitur. *Al.* Nempe malum aliquod videtur tibi latere in hoc imperio? *Aug.* Prospicio gravissimum. Symmachus ita vult *uni Deo* servire, ut non offendant diabolum, quem colit in *pluribus*: à tali viro bonum fieri imperium credis? examinare talium mandata est necesse, ne obediendo homini, offendas Deum. *Al.* Hem! à quanto jam tempore vocem tam religiosam non audiavi ex isto ore! si omnia sunt dubia, ut credis tu, quis jam de Deo te scrupulus angit? agere, quod libet, licet, quando est dubia obligatio legis. Aut, si etiam transgredimur legem, quid nocet scelus? pœnas præsentis vitæ etiam probissimi ferunt, & quæ narrantur futuræ

futurae post vitam hanc, dubiae sunt: cur timemus? *Aug.* Loqueris cheu! ex meo sensu. Obsecro, quem à me induisti, mecum exue. An omnia sint dubia, Alipi, hoc est dubium saltem, & hoc dubium tenet me, *ne ad Epicurum deficiam*: timeo enim, ne sit verum, quod timeo, iudicium, internus, aeternitas. Ecce! quò sum prolapsus! in horrenda me abyſſo video: ah! porrige manum Deus! *Al.* Mirum! Augustine, nunquid à Simpliciano veniunt hi motus novi? *Aug.* Sic est, amice: ô bone Deus, nondum odisti me! spes nova nascitur! inveniri veritas potest! *Al.* Differamus hanc curam, cras commodius indagabimus: hodie parendum est Præsidi. *Aug.* Hodie Simplicianus adest, cras abit: arripienda est capillis occasio, toties dimissa ex manibus. Novum stimulum hæc Epistola admovet: nam qualem descripsit fama, hîc Ambrosium lego. O si videre liceret virum, si colloqui! *Al.* Importuna hæc desideria sunt: sine modò! nox de his consilium dabit. Nunc Præsidi, Augustine, Præsidi est parendum: nam nisi responsum afferas, quid excusabis? *Aug.* Occurret aliquid. A nocte ut expectem consilium, non persuades. Securius à Simpliciano requiro, an parere Præsidi liceat, & contra Ambrosium scribere. Nam, si non licet, certum est, non faciam. *Al.* A Simpliciano petis consilium contra Ambrosium? quæ prudentia? *Aug.* Veritatis, Alipi, veritatis inveniendæ, uti nova spes, ita novum desiderium est. Væ mihi, si rursus differo urgentem affectum sequi. *Al.* Quò trahis, sequor te. Sed prospicio, quid sit futurum. Simplicianus utique prohibebit, & avertet à Præsidi: sic Præses averſabitur ambos, spes nostræ percunt. *Aug.* Amicus Præses, magis amica veritas. Toties, cùm se obtulit, à me neglecta, ultrò se offert iterum: iterum negligam? Simplicianus hodie plùs, quàm Præses, terret. *Al.* Si spes est, inveniri posse, utique parendum est magis veritati, quàm cui-
vis

vis Principi. *Aug.* Utique, quia beatum facere nullus me Princeps potest, neque eripere veritati contemptæ, si contumacem damnabit. *Al.* Sapienter. Sit igitur, tecum audio Simplicianum.

CHORUS.

Exhibetur secundum ad seriam Conversionem Medium, quod est *Timor Dei*, quo urgetur homo, ut manum operi sine *procrastinatione* admoveat.

Timor in persona Operarii. Gratia. Fides.
Anthropus. Quinque sensus in persona Aucupum.

Gratia. HÆc est domus, in qua voluit Dominus,
Ut esses operarius.
Rem tuam age strenuè.
Ut evellas, & destruas, & disperdas, & dissipes. Jer. 1.
Constitutus es hodie. Pulso iterum.
Fides. O Bona *Gratia*, ut ades in tempore,
Et tecum *Timorem* adducis!
Ad nugas *Anthropus* rediit,
Et *Seria*, quidquid opponat *Fides*, in crastinum rejicit.
Filii, tristem recreaturi parentem,
Instruxerunt aucupium:
Huic ille totum hodie addixit animum,
Et cras, ait, cras convertar ad Dominum.

G 3

Gratia

Gratia. Absurdam audio vocem corvi,
Nescio, stulti magis, an impii!
Vah! homo temerarie!

Aria.

Offensus Deus veniam

En! offert hodie:

Et dicis: eras accipiam,

Non placet hodie!

Ah! cæli obstupescite,

Et desolamini!

Jer. 2.

Hæc vox: non placet hodie!

Est vox mancipii!

2.

Offenso reus suggerit

Horam clementiæ! ...

Peccator Deo statuit

Momentum gratiæ! ...

O hominis impietas!

O impudentia!

O Numinis benignitas!

O Patientia!

Sed perge, Fides, meum homini adventum nuntia,
Ad me evoca.

Fides. Si obfirmaverit Januam, & nolit venire?

Timor. Vides hanc asciam? pulsabimus fortius,
Ita, ut incipiant ambæ aures timire.

Jer. 19.

Fides. Quod videbitur, facite. Ego aperio: (a)

Vos judicate, quid possit sperari,

Et num ad vos audiendos Anthropus

Sit hodie bene dispositus.

Timor.

(a) Aperitur silva, in qua sensus suas delicias aucupantur.

Timor. Negotiosi sunt aucupes,
Et, quibus insidiantur, garrulæ volucres.
Fides. Has homo inanis delicias capit,
Gratia. Imò, non capit; *capitur*: ita desipit...
Visus. Io! parata sunt retia, amites, area, Omnia.
Trepidate gens volucrum! canimus classicum:

Chorus quinque Sensuum.

Omnes. Eia venite
Blandæ aviculæ.
Nostræ deliciæ!
Venite!
Visus. Vis formæ amæna,
Auditus. Vox gratiis plena,
Gustus. Rostrum eburneum,
Collum mellificum,
Odoratus. Plumarum balsamum,
Tactus. Et lepor saltuum,
Visus & Auditus. Et caput ad pompam cristatum,
Gust. Odorat. Tact. Et corpus amoribus natum
Omnes. Amabiles faciunt vos!
Amamus! venite ad nos!
Eia venite!
Odoratus. Nobis vos dedite,
Gustus. Nihil metuite!
Tactus. Adsumus aucupes,
Non, non carnifices,
Omnes tres. Qui mactent, & jugulent vos.
Visus. Amare, vobiscum joculari,
Auditus. Vicissim à vobis amari,
Ambo. Hoc cupimus nos!
Omnes. Dedite vos!
Venite!

Gratia

Gratia. Usquequò parvuli diligitis infantiam?

Prov. 1.

Anthrop. Fallor! an audio Gratiam?

Fides. Adest, & petit responsum ad allatam nuper Epistolam.

Anthrop. Cras redeat: cras faciam audientiam.

Gratia. Ego autem hodie mihi faciam.

Timor, inania dissipata gaudia!

Timor. Fugite! fugite! (b)

Sensus. Heu! heu! nostræ deliciae! sistite!

Anthrop. Quis meis obstrepat importunus consiliis?

Timor. Tace homo indocilis!

Generatio incredula & perversa!

Matt. 17.

Quousque ero vobiscum? usquequò patiar vos?

Anthrop. Prò! quæ voces suavissimas vox excipit horrida!

Timor. Vox Domini in virtute!

Psal. 20.

Vox Domini confringentis cedros efferentes se in superbia!

Vox Domini intercidentis flammam ignis,

Qui exarsit in concupiscentia,

Vox Domini concutientis desertum, ubi onager luxuriat!

Vox Domini præparantis cervos ad partum,

Ne, qui parturit, semper parturiat,

Et nunquam pariat.

Hæc dicit Dominus: Hodie si vocem ejus audieritis Psal. 94.

Nolite obdurare corda vestra! nolite hodie!

Aria.

Ecce! post navem eversam (c)

Et scelerum fluctibus mersam,

Cum undis pugnanti,

Cum morte luctanti,

Tabu-

(b) Complosione manuum aves territæ fugiunt.

(c) Vocavi, & renuistis: extendi manum meam, & non fuis, qui aspiceret. Prov.

1. v. 24.

Procrastinatio

57

Tabulam hodie
Porrigit Gratia ...
Hodie accipe!

Hodie enata!

Periisti, si audes joculari,
Et ipso clamare ex mari:

Porrige cras!

Cras Gratia tibi illudet,
Cras aurem utramque occludet,
Alongè Cras stabit,
Et cor obdurabit.

Flebis, & heu me!

Dices: ô Gratia!

Hodie, hodie,

Ubi est tabula?...

Ridebit, & jam jam mergendo, (d)

Clamabit clamore horrendo:

Porrigam cras!

Anthrop.

Ah! irascere, irascere!

Sed à risu, à risu tuo libera me, Domine!

Totis artibus trepido:

Quid sit agendum, consulite.

Gratia.

Purganda est area,

Et excindenda radicibus hæc scelerum latibula:

Hodie, hodie manum admove.

Anthrop.

Heu me! unde incipiam? quando finiam?

Laborem imperatis difficillimum.

Faciam tamen, faciam, sed modò non possum.

Sinite paululum! paululum!

Gratia.

Homo ignavissime!

Fides.

Temerarie!

H

Timor

(d) Ego quoque in interitum vestro ridebo, & subsannabo. Ibid. v. 26.

Timor. Perditæ!
Omnes tres. Si aliquando cogitas facere;
Gratia. Quare non modo?
Tim. & Fid. Quare non hac hora?
Omnes tres. Quare non? quare non?
Ariose.

Anthropus. Assuevi huic silvulæ: ...
 Radicitus excindere,
 Et hodie
 Est opus molestissimum!
Gratia, Fides, Timor. Sed opus necessarium:
Anthropus. Pro tota vita, totum me
 A loco hoc avellere
 Et hodie
 Est arduum negotium!
Tres reliqui. Cras erit magis arduum!
Anthropus. Non possum hodie!
Tres reliqui. Cras minùs poteris.

Anthropus. Rebellis repugnat natura!
Gratia. Cras magis repugnabit!
Anthropus. Amor obstat, & sensuum cura!
Fides. Cras fortiùs obstabit:
Anthropus. Quid dicent homines!
Timor. Cras magis metues!
Anthropus. In retam ardua me vincere
 Non possum hodie!
Omnes tres. Ah! potes hodie, & non vis:
 Cras voles, & non poteris,

Gratia. Vince te! & saltem incipe!
*Timor. ** Cape arma, tenta te!

Author.

* asciam porrigit

Procrastinatio

59

i. Reg. 17.

Anthropus. Ah! usum non habeo.
Fides. Aliquando utendum est necessario.
Omnes tres. Quare non modò? quare non?
Gratia. Aggredere, ego adjuvo.
Anthropus. Domine! in tuo nomine! ... *
Fides. Vicimus! vicit se!

Aria.

Prima victoria
Nunquam est unica:
Trahit secundam,
Et plures post se,

2.

Semel qui vincit se,
Possit se vincere
Jam est convictus:
Major fit animus,
Repetit ictus,
Audetque sæpiùs
Aggredi se.

PUNCTUM II.

Procrastinatio quò duxerit.

SCENA I.

Augustinus. Alipius. Nebridius.

Augustinus. Quid multa? Amici mei! erratum est, gravissimè erratum! ita me convicit Ambrosius in istis litteris. Eo, & nuntio Præsidi, frustra me in confutationem incumbere: vicit Ambrosius, Veritas triumphat. *Nebr.* Et tu, Alipi, adhuc

H 2

* clauditur, dum a sojam attollit.

adhuc immotus es in tanto motu? *Al.* Nescio, quid magis stupeam, Augustini timorem, an Simpliciani consilium. *Aug.* Cessabis utrumque mirari, cum istas litteras legeris. Cape, lege! veritas, veritas vultu terribili prospicit, strictoque ancipiti gladio minatur æternam mortem, si pergo tergum vertere, & dubiam viam ire. Hic metus justus utique compulit me, ne auderem exequi imperium Præsidis, donec Simplicianus probaret. *Al.* Probasse, hoc non capio. Ego prohibitorium certò credidi: præter spem evenit, ut urgeret ipse, & diceret: omnino, Augustine, obtempera Præsidi, festina, responsum ad Epistolam para. *Aug.* Idem mirabar tecum: nunc ex eventu laudo prudentiam Magni Viri. *Nebr.* Providit, quod factum est, & cepit te hamo tuo. *Nebridi,* ajebat mihi, cum vos abiistis, & ego gemerem, novam moram à Præside injici meis spebus, *Nebridi,* hæc mora promovet salutis consilium. *Augustinus,* uti tumet superba æstimatione sui, ita disputando vix patietur se vinci ab alio. Itaque disputet ipse secum, vincat se: sic victus, victor erit, & veritati se lubens dedet, lubens repetebat, lubens dedet se: nam quò intentiùs se impendet, ut inveniatur argumenta, quibus confutet Ambrosium, eò profundiùs ingreditur in adyta veritatis, & repentiùs admirabitur constitutum se in conspectu Reginæ, quam credebat ultra mare abesse. *Aug.* Propheta fuit. Confutandi conatus cogebat penetrare intimiùs, quod legebam. O felix necessitas! oblata est veritas, splendida face coruscans oculis animæ: adoravi, homagium præstiti. *Alipi,* quod video, poteram videre pridem, & debuissim: affectata ignorantia fuit, applicare considerationi me nolui, & serium conatum ex die in diem distuli: hæc me negligentia, hæc pigritia nunc malè habet. *Al.* Corrigamus ergò hodie. Quis erit modus? *Aug.* Tangis punctum, quod nunc cruciat. Correctio ista non est opus unius diei. Hodie
Simpli-

Simplicianus adest, cras abit, & deserit ægrotum, quem coepit affligere, ut sanet. Heu! cum potui, nolui applicare me studio salutari, superbia obstante, quæ Magistrum non admisit, & prohibente libidine, quæ tenebras supra lucem amavit: nunc, cum volo, fortè non potero, & quid deinde, amici, quid deinde fiet mecum? Prò! in quæ me mala mea pigritia præcipitavit, & infelix procrastinatio! iterum hodie aperit mihi oculos Deus, & video plura, quàm in Africa videram. Me insensatum! post fabulas Manétis abjectas currebam bene! quis me fascinavit, ut sisterem cursum, imò rursus ex via deflecterem, ita, ut facta sint posteriora pejora prioribus! *Nebr.* Procrastinatio omnino, procrastinatio sufflaminavit primùm, deinde protrusit in devia. *Aug.* In devia utique, mi Nebridi: nam in abyssò me video, quæ profundior esse non posset. Respicio scalam, per quam descendi, & capere nequeo, quomodo descenderim sine horrore. *Al.* Nempe per gradus factum est iter à vix advertente, quò ires. *Aug.* Sic erat. Ardebat cor desideriis calidissimis ad bonum, ad veritatem: veritas ex Africa Romam traxit. Si indagâsem citò, ubi lateat, jam invenissem, jam felix essem. Distulisse hanc curam, abiicisse fuit. Procrastinatio peperit frigus, ex frigore nata est desidia, ex desidia desperatio inveniendi verum, quod tædebat inquirere, ex desperatione contemptus docentium, inde confirmatio in vitæ licentia, futurorum incuria, & sensim sine sensu quidlibet audendi infelix temeritas. *Al.* Laudo lamenta tua, sed utilius negotium facimus, si consilia conferamus de reditu in viam bonam. *Aug.* Deliberate: ego Præsidi refero meum de Epistola sensum. *Al.* Displicebis. *Nebr.* Nihil refert. Minus malum est contra Præsidem, quàm contra veritatem pugnare. Nos interim intendamus oculum istis literis, ex quibus Augustino tanta spes venit, veritatem apud Ambrosium esse.

H 3

SCENA

SCENA II.

Alipius. Nebridius.

Alipius. Necesse est, ut habeant pondus, quæ caput tam obstinatum inclinant. Audiamus. *Potentissime Cæsar: Quæ tibi à Symmacho urbis Romæ Præfecto oblata supplicatio fuit, Argumentum habet, cujus pertractatio ad Episcopos magis, quàm ad Aulæ tuæ Consiliarios pertinet. Itaque veniam dabis, Clementissime Princeps, si, quæ agitur, controversiæ Ambrosius se, etsi non vocatus, immiscet. Sincerum exordium est, & viri pro suo officio Zelosi. Nebr. Episcopi. Al. Petitur, ut aram Deæ Victoriæ restituas, & fieri sacrificia finas antiquæ Romæ consueta: audax postulatum est, in quo mihi Symmachus sui videtur oblitus fuisse, & tui, Cæsar, quia neque quid peteret, satis attendit, neque à quo. Nebr. Nihil dissimulans dicet. Al. Et clarè. Quid enim? si ab Ethnico Principe Christianus Aulicus peteret, ut evertantur fana Deorum, & Christo ædificetur Ecclesia: quis Regum patienter audiret, nisi aut jamiam ad fidem nostram se adjuncturus, aut certè de nostra Religione optimè sentiens? Vide igitur, Princeps, quid de te existimet Symmachus, cum à te ausus est petere aram Deæ, quam fides nostra idolis adnumerat. Inadvertentiam dicere malo, quàm injuriam: qualem non levem facit Majestati tuæ, qui sciens, ac prudens credit, te damnatis Superstitionibus, contra Patris, ac Fratris Exemplum non omnino nihil addictum esse. Nebr. Argumentum ad hominem est. Al. Et quo sapienter sibi conciliat Principem. Pergit: advertit, ut est prudens, ipsum Symmachum periculum grave, ne preces suæ tacita accusatio Cæsaris viderentur, tanquam à quo sperare ejusmodi gratiam, idem esset, ac dicere: Valentianus ut ætate juvenis, sic in sua Religione aut parum sapiens, aut modicè anxius est: idèo astutè incipit eò delabi, ut neget, scelus esse Imperatori Catholico,*

tholico, si subditis suis, etiamsi prohibere posset, cultum plurimum Deorum permittat. Nam, inquit, cum inter tot sectas incertum sit, quænam verè Deum verum Auctorem habeat, Ratio postulat, ut cuique pro modo ingenii liceat veritatem inquirere, & circa Religionem sentire, quod malit. Nebr. Alipi, hoc axioma est filia principii, quod nos tenemus: omnia esse dubia. Hem: quò ducimur? cum erit commodum, etiam adorabimus idola sine scrupulo. Al. Certè, si Symmachus verum dicit. Audi, quomodo se defendat: nam denique, ait, cultus quicumque tendit in Deum unum, & qui adorant plures, plura Nomina venerantur, non plures Dominos. Nebr. Profectò callida defensio sceleris. Quid respondet Ambrosius? Al. Avidè lego. Exclamat: ecce! & Magne Cæsar, quàm speciosis vestibus incedit ornata Impietas, ut simplices animas fallat! serione Symmachus unum esse Deum credit, aut simulat? si credit, cur aboleri nomina ægrè fert, quibus fovetur error, & Idololatria subsistit? Si autem simulat, malus est servus Deorum, quorum cultum profiteri non audet. Nebr. Fortiter stringit. Al. Sequitur: sed ego suspicor, hominem neutrum esse. Nam, cum dicat, incertum videri, quæ tot inter sectas verè Deum verum Auctorem habeat, opinor, eum se nulli addixisse, quod solent plures, non quòd omnino negent, dari Deum, sed quòd, quo cultu colendus sit, suspendant sententiam, & ut aiunt, isti se disceptationi nolint miscere. Inde fit, ut indifferentes ad omnia, hodie Catholici, cras Ariani, postridie Manichæi, denique Ethnici sint, prout ratio temporum tulerit. Atque hæc indifferentia, Princeps, Religio Prudentum vocatur, quod nomen superbum jam multos fefellit, ex illis maxime, qui videri volunt supra plebem non modicè sapere. Nebr. Alipi, non sentis, nos iterum pungi? Al. Nisi me stupidum credis, utique sentio. Sed profundius feriat, est necesse, ut doleat vulnus. Nebr. Perge. Al. Ego fateor, Auguste, prudentis esse, non cuilibet credere, & optime suspendi assensum, quando veritas reperiri non potest. Sed, quæ Religio à Deo præcepta sit, argumentis constat adeò manifestis, ut applicari.

plicantibus oculos mentis ad seriam considerationem, veritas occulta esse non possit. Nebr. Nunc arrigo aures. Al. Ego visum intendo. Circumspiciat orbem Symmachus, percurrat provincias, interroget ex singulis sectis aliquem: dic mihi, vir bone, cur tu colis Jovem? & tu, cur sequeris Arium? Tu autem cur Manéti adhæres? respondebit alius: quia sic natus sum: alius, quia non habeo alibi, unde alar: alius, quia non decet me à fide Majorum deficere: denique alius dicet: nescio, cur hoc potius credam, quàm aliud, nisi, quòd videatur Scriptura hoc potius loqui, quàm aliud. Responsa ejusmodi quis non videt esse communia omnibus, & patrocinari cuilibet, atque aded nulli? verùm ad hominem Romano-Catholicum qui accesserit, audiet: Ego Catholicè credo, quia prudenter dubitare non possum, quin ista Religio sit à Deo. Nebr. Quid tu sentis de hoc discursu? Al. Sine, ut absolvam. Quidquid enim ab adversariis objicitur, aut mendacium est, aut nullius ponderis: quæ autem tenent me in Ecclesia, Argumenta sunt, quibus alia secta nulla potest uti pro se. Quæ enim est omnium, quæ suam originem, ab Apostolis probat? cui tot Prophetiæ suffragantur? quam tot Martyres firmant, & tanta Doctrinæ primùm, deinde morum ad Doctrinæ Regulam formatorum Sanctitas commendat? itaque ex Philosophis etiam, si penitus inspexerunt rationes, propter quas credimus, nemo est, qui non fateatur, fidem nostram esse fidem prudentem: sequitur, Auguste, non esse aliam, præter Catholicam, quæ mereatur Religio Prudentium vocari. Nebr. Alipi, quid opponimus? Al. Solida videtur conclusio. Examinemus ex Dialecticæ regulis, in formam redigo: sola fides prudens potest habere auctorem Deum. Nebr. Certum est: nam qui rationem homini dedit, haud dubiè postulat, ut in colendo se ratione utamur. Al. Atqui sola fides Catholica est fides prudens. Nebr. Rursus certum, quia sola pro se habet rationes nulli alteri communes. Al. Sola igitur fides Catholica habet Deum auctorem. Conclusio est manifesta, & video corollaria sequi, quæ nos omnino jugulant. Nebr. Ergò quæ docet fides Catho-

lica, vera sunt, & contradicere scelus est: hoc primum. *Nebr.* Certissimè, quia contradicatur auctori Deo, & summa Veritas spernitur. *Al.* Sequitur, non esse liberum amplecti fidem quamlibet. *Nebr.* Etiam patet: nam cum quævis alia in multis contraria Catholicæ sit, necesse est, contrariam etiam Deo esse. *Al.* Præterea infero, imprudenter agere, quisquis in fide contraria hæret. *Nebr.* Utique, quia temerariè pergit ire viam, de qua dubitare prudenter non potest, quin à Deo abducatur. *Al.* Denique concludo, teneri obligatione gravi ad inquirendam veritatem, cuicumque de sua fide prudens dubium incidit. *Nebr.* Et nos negleximus! & adhuc negligemus? *Al.* Finit Ambrosius: *Itaque ne Symmachi preces audias, Magne Cæsar, Conscientia obstat, & Officii ratio: una Religio Deum habet auctorem, una habeat Cæsarem Protectorem: potestate abuteris, si uteris in favorem hominum, qui Deo injuriam faciunt, freti gratiâ, qua per te licet, ut faciant. Virum invenimus, qui docere veritatem potest!* *Nebr.* Virum magnum, & dignum, cujus Augustinus discipulus sit. Hæc dies, Alipi, finem tot procrastinationibus faciat: incipiamus Catechumeni esse, & nos instructioni submittere. *Al.* Opportunè ingrederis, Pater, nam ô quanta sunt, quæ narrabimus tibi!

S C E N A III.

Simplicianus. Alipius. Nebridius.

S*implicianus.* Ego responsum à Præsidente postulo, quod ad Ambrosium referam. Quid Augustinus contra Episcopum scripserit, vos mihi narrate. *Nebr.* Imò evénit, quod dixerat vario, fortique motu concussum est pectus legentis Epistolam, &, cum, quocunque se verteret, occurreret nihil, quod oppo-

I

neret

neret solidè, erubuit confusa superbia, quæ ipsum sibi adversum quoscunque invincibilem mentita huc usque fuerat. *Al.* Illuxit radius ambulanti in tenebris, ac instar fulguris repente detexit periculum, in quod ibat infelix, jam in margine terribilis præcipitii stans. Ego cum ipso video abyssum, cui nos proximè ignari admovimus; retraho pedem: intelligo, nimis vicinum exitio esse, qui de omnibus dubitat. Potest, potest inveniri veritas, & inquiremus pariter labore novo. *Simp.* Non erit opus magno, sed celeri. Nova dilatio novas difficultates objiciet, quas fortasse minùs superabitis, quàm illas, quæ hætenus tenuerunt. Hodie circumspicite Directorem, qui possit, & velit viam monstrare. *Nebr.* Qualem esse vis, & quas doctes requiris? *Simp.* Duos oculos, Doctrinam, & Sanctitatem. Qui doctus est, & parum sanctus, sæpe fallit: qui sanctus, & parum doctus, facilè fallitur. *Nebr.* Difficiles condiciones sunt, quas in multis conjunctas vix reperies: non enim passim Ambrosii, & Simpliciani occurrunt. *Al.* Si non occurrunt, qui ducant, opinor, hominem litteratum posse sibi met sufficere, si impendat se sedulò in curam salutis. *Simp.* Bene addis, si impendat se sedulò. Nam, quotusquisque est ex Litteratis, qui impendat se sedulò, nisi sit, qui dirigat, & qui urgeat? Alipi, Christus, quem omnes colimus, Pastori bono se comparat. Qualis sit ipse, poterat per alias similitudines explicare: sed quales esse cupiat nos, vix aliud symbolum clariùs explicat. Pastor & Ovis correlativa sunt: si igitur Pastor est Christus, vult, ut nos simus oves. Laudo in ovibus innocentiam, simplicitatem, patientiam, sed, quod Christus exigit, subjectio est, & patientia directionis: *Vocem meam audient.* * *Al.* Si Christus adhuc per se pasceret oves, quis se nollet ejus directioni submittere? Sed quando jam per Ministros pascit, cur non eximas Litteratos

* Joan. 10.

teratos? rudes, quid credere, fugere, facere debeant, necesse est, doceri ab aliis, & moneri, ut agant. Qui autem aetatem triverunt in litteris, cur non ipsi Magistri esse queant, si velint? *Nebr.* Alipi, miror, te hoc disputare. Scis, quid propter negligentiam Magistri nobis, & ipsi Augustino contigerit. *Simp.* Sic Deus castigat superbiam Doctorum, quos scientia inflat. Ecce Alipi, Doctorum pars magna meris speculationibus vacat: maxima impendit se praxibus, sed ad salutem servientibus nihil. Est Philosophus, qui intervalla stellarum metitur; qua via ipse supra stellas se evehat, nunquam cogitat: est Medicus, qui corporum morbis etiam desperatissimis remedium affert, animæ suæ periculum ne sentit quidem: est Jurisperitus, qui quam eloquenter pro alijs dicit, tam miserè pro se obmutesceret, si hodie citaretur ad Judicem Deum. Quòd si ponas virum, qui etiam sciat utilia ad salutem, nunquid hominem ponis, quem & intellectus fallere potest, & cui saltem memoria fit labilis, & voluntas certè æquè ut aliorum hominum ad malum prona, subjecta tædiis, languori, pusillanimitati, inconstantia, ac innumeris malis, quibus non per scientiam, sed per consilium adhiberi medicina debet. Unde verò consilium? tuam ipse prudentiam consule: nisi ab omnium rectè Sapientium sententia discrepas, dices, certum esse, quòd nemo sibi consulat minùs, quam qui in magni momenti negotio neminem consulit, præter se. *Al.* Potenter peroras. Sed, quid faciam, si Director idoneus non se offerat, etsi velim? *Simp.* Orandus est Deus, ut prospiciat. Dei ordinatio est, volentis, ut homo dirigatur per hominem: hominis oratio facit, ut mittat idoneum, id quod Deus eò libentiùs faciet, quòd gratior victoria est, qua videt vinci superbiam, quæ à tali submissione abhorret.

SCENA IV.

Personæ omnes.

S*ymmachus.* Adest ipse, Simplicianus. Responsum expectas ad Epistolam Episcopi tui: vivum habe. Mediolanenses Doctorem Rhetoricæ à me petierunt: Augustinum do vobis; respondebit Ambrosio præsens, quod hodie distulit. Hic vir, hic est, qui retundet superbiam viri in sua facundia se jactantis, velut parem non habeat. Alipi, sicut amici estis, ita adjungo te illis: locus in curia Mediolani vacat, occupabis. Decretum accipe. *Al.* Gratiam tibi faciat Deus pro ista gratia, Prætor: ego faciam, ut te non poeniteat datæ. *Sym.* Uterque suo munere fungatur strenuè. Cogitate, quanto Cæsari serviatis, neque permittite, ut vobis Episcopus imperet. *Simp.* Domine, etiam Ambrosius Aulæ Leges, Aulicus ipse perdidicit: distinguere scit, quid intersit inter Ecclesiasticam potestatem, atque Politicam: non est periculum, ut se immisceat negotiis vestris, nisi vos immisceatis vos suis. *Sym.* Audis, Augustine, ad quos te homines mittam? audaces, insolentes, gratiâ Cæsaris tumidos, & scientiæ opinione inflatos? sume spiritus dignos te, & tanquam leo inter catulos, imbelles latratus sperne. Mediolanum do tibi, campum gloriæ, ubi te efferas triumphator Ambrosii, quem si viceris, attigisti verticem laudis, ad quam aspiras. *Aug.* Optime Prætor, quam de me concepisti, fiducia, vereor, ne te fallat. Audivi, quantus sit vir, contra quem est agendum. Non deest ad pugnam animus, spes victoriæ deest. *Nebr.* *Quid iterum audio? cum Ambrosio etiam pugnabit iste? *Sym.* Ego te, & Ambrosium novi, nihil metue: fama facit majorem vero: victorem gloria æterna manet. Vale.

* tacitè.

SCENA

SCENA V.

Omnes, præter Symmachum.

S*implicianus.* Hoc agitur, ut inimicum Augustinum Ambrosio feram? hæc est, Nebridi, fides tua, hæc spes, quam fecisti? infelix! quid igitur respondere ad Epistolam potes? eja! hisce saltem! *Al.* * Quid est? etiam me fefellisti fiducia vanâ, velut apud Ambrosium invenienda sit veritas? *Nebr.* Pater, istos Prætor novi muneris honore sibi devinxit: ite vani, ite miseri, quiescite, gaudete in vestris gaudiis: meum gaudium est, inquirere veritatem. *Aug.* Præter spem oblata conditio est Rhetoricæ Mediolanensis: num acceptando malum feci, Pater? *Simpl.* Nullum. Sed nempe qui antè de veritate reperienda desperaveras, nunc etiam impugnabis repertam, hoc malum est, hoc peccatum in Spiritum sanctum! hypocrita! sic te ista Epistola commovit? *Aug.* Tu irasceris mihi; mereor diu: sed hodie non respondeo. Divinam Providentiam adoro, quæ sic votis velificata est meis. *Nebr.* Quæ vota jactas? utique vanitatis, jactantiæ, gloriæ? tale tu tibi theatrum Mediolani gratularis! *Aug.* Etiam tu erras. Ego invito vos ad Numen adorandum; quod prostat in ista Aula: venite mecum. *Al.* Quid enim postulas? ad idolum nos duces? *Aug.* Inter media Idola neglectam unam vidi imaginem Providentiæ: hanc adoro. Ingredere, *Simpliciane*, judica, num malè agam. * Ecce hic Oculus in me respexit, etiam cùm tergum verterem. O Ocule misericors! Ocule clemens, unde hoc merui! *Simp.* Nisi nos decipis, narra, quid velis. *Aug.* Alipi, Nebridi, vos estis testes, quantis desideriiis, cùm legi Epistolam, exarserim ad videndum Ambrosium. Rediit spes, & cum spe cupido inveniendæ veritatis. In-

* ad Nebridium.

I 3
** exhibetur divinus oculus.

tro ad Præsidentem, narro, quàm possem invenire nihil, quod Ambrosio confutando serviret. Ille (stupete hìc bonum Numen) ille tædiò ex discipulis concepto, de quibus sæpe questus fueram, affici me interpretatus, ut solaretur, & animaret: nihil refert, inquit, quod Romæ non fecisti, Mediolani, ut opinor, præstabis. Simul decretum porrigit, officii proventum, & decus laudat, adversus Ambrosium concitat. *Simp.* Et quid tu? *Aug.* Quid facerem? Politicè cum Politico egi: sponsondi facturum, quod possem. *Nebr.* Et quid facies? *Aug.* Quod facere nisi difficillimè, nunquam potuissem, nunc gaudens facio: eo Mediolanum, ut ibi Ambrosio fruar. *Simp.* Siste modò: dic, quo animo ibis? ut disputes? ut vincas? ut jactes te? *Aug.* Ut discam veritatem, Ambrosium Magistrum cupio. *Nebr.* Hæc vox est bona! *Al.* Hæc facit bonum! *Simp.* Et sanctum facit, si, quod dixisti, citò facis. Eja citò!

O. A. M. D. G.



MEDI-

MEDITATIO III.

AUGUSTINI LUCTA ANTE CONVERSIONEM

ARGUMENTUM.



Onciones S. Ambrosii, & frequentior conversa-
tio cum Simpliciano jam id effecerant in Augu-
stino, ut intelligeret, fidem Romanam solam
ad salutem prodesse. Quò minùs tamen se illi
per Baptismum statim post cognitam veritatem
adjungeret, difficultas obstitit, quam vitium
carnis objectit, diuturna consuetudine roboratum, & ante di-
gnam sacramenti susceptionem utique damnandum, *verique dolo-
ris, ac serii propositi* Exercitiò sollicitè execrandum, id quod tunc
Augustinus impossibile factu sibi esse credebat, scilicet meti-
enti se ex viribus suis, & de viribus Gratix adhuc diffidenti. Vi-
deatur *liber octavus Confessionum*, ex quo desumpta est hodiernæ
nostræ Meditationis

Materia: Augustini difficilis Lucta contra pravam consuetudi-
nem.

Puncta duo: Primum, Lucta cum Intellectu,
Secundum, Lucta cum Voluntate.

Fructus: Correctio *voluntatis infirmæ*, & novæ vitæ difficul-
tates metuentis.

Propo-

Propositum. Obfirmare se contra quemcunque laborem in morum correctione subeundum, & in specie animare se per fortem Spem in Dei gratia, ejusque opem oratione seria, & fervente implorare, qua qui utitur, testatur Deo, quòd, si nondum verè doleat de suis peccatis, saltem doleat, se nondum dolere, atque ita disponitur, ut recipiat gratiam, sine qua dolor est nullus.

PERSONÆ

S. Simplicianus.

S. Augustinus.

Alipius.

Nebrius Augustino Familiaris.

Navigius, ejusdem Frater.

PROLOGUS.

Reflexio in Meditationem Præteritam, & Præparatio ad præsentem. (a)

Anima meditans. Angelus explicans.

Anima.

O Miserrima miseria!

Condite radios aurea fidera!

Pereat dies, in qua natus sum!

Et nox, in qua dictum est, conceptus est homo!

Heu! homo infelicissimus,

Destinatus æternis ignibus!

Job 3.

Aria.

(a) Exhibetur Cœlum stellis coruscans.

Aria.

O Coelum,
 Quot stellis illustratum,
 Tot frustra desideriiis
 A me desideratum!
 Actum est! perii!
 Excidi spe!
 Sperent te alii:
 Actum est de me!
 Rupes liquefcite!
 Silvæ miserescite! ...
 Nunquam videbo te
 Patria dulcissima,
 Terra beatissima!
 Heu me!

- Angelus.* Quæ audio lamenta? quos gemitus?
Anima. Recede, bone Angele, recede à me,
 Quia recessit à me Dominus.
Angelus. Quid ita? nunquid expugnata est pigritia,
 Abrupta *procrastinatio*, incepta *Conversio*?
Anima. Incepta est: quid profuit?
 Iterum tentata sum.
Angelus. *Vita est militia.* Pugnâsti?
Anima. Pugnavi, & vici semel, ac iterum.
 Sed rediit vexatio! ... perdita sum!
Angelus. Anima misera! ... non tamen perdita.
 Erige animum Charissima!
 Adhuc video Coelum tibi propitium.
 Bonus est Dominus.
Anima. Bonus Ipsum diligentibus, non mihi! ..
 Rumpere cor, dolore rumpere!
Angelus. Moderare tristitiam! suspice!

Job. 7.

K

Aria.

Aria.

Nullus micat in Cœlo Cometa,
 Mali tibi instantis Propheta:
 Placida sidera
 Certa sunt Symbola
 Non tonantis, sed donantis
 Tua tibi scelera.

2.

Nemo pejus, & stultius errat,
 Quam qui, cum peccavit, desperat:

Antea metue

Deum Offendere:

Post patratum jam peccatum
 Spes medelæ est à Spe.

Anima. Estne possibile, ut Deus in gratiam recipiat me,
 Toties relapsam, toties fœdifragam!

Angelus. Fornicata es cum amatoribus multis, Jer. 3.
 Tamen revertere, dicit Dominus, & ego suscipiam te.

Anima. O verba plena dulcedine! revertar igitur,
 O Deus, iterum revertar ad te.

Sed quid jam jubes facere,
 Ne rursus succumbam in novo certamine?

Angelus. Vi pravæ consuetudinis
 Facta est tibi voluntas inconstans, & debilis.
 Huic malo feret remedium,
 Quod Augustino Ambrosius dedit consilium:
 Tota Conversio innititur uni Principio;
 Ne sis pusillanimis.

Anima. Confidera, applica.
 Volentem Deus adjuva.

Aria.

Aria.

Anima.

Confusa pudore,
Et novæ malitiæ
Tremens horrore,

Angelus.

Non tamen sine Spe,

Ambo.

O Deus coram te,
En anima prosternit se!
Prostratam respice!

2.

Angelus.

Confirma labantem,
Da fortem animum!

Anima.

Metu trepidantem
Sustenta spiritum!

Ambo.

Dabis Victoriã,

Anima.

Si des, ut pugnam strenuam

Pugnare audeam,

Ambo.

Si des, ut audeam,

Dabis victoriã.



K 2

MEDI-

MEDITATIONIS II.

De Lucta Augustini

PUNCTUM I.

Lucta cum intellectu.

SCENA I.

Alipius. Augustinus.

A*lipius.* Impatientem me facis. Nam, quæ sunt istæ aliæ ex alijs moræ? jam Pascha imminet, & cæteri Catechumeni certatim Baptismum expetunt, multisque modis ad recipiendam Sacramenti gratiam præparantur: tu, post auditum Ambrosium, post dubia de fide soluta, post detecta, quibus Romanam Ecclesiam vilem nobis Hæretici fecerant, mendacia, denique post inventam, quam terrâ, marique inquisivimus, post inventam cum incredibili gaudio veritatem unius fidei, cessas adhuc lentus, & novas difficultates objicis? Homo temerarie! mihi tua amicitia nocet: rumpatur! accedo Episcopum, & inter baptismi Candidatos me scribi rogo. *Aug.* Non impedio. Tibi baptismus gratiam, mihi exitium ferret, si nunc susciperem. Justa est causa moræ: culpam imputa Simpliciano. Heri aderat, & quousque progressus essem in Doctrina fidei, examinabat. Credis, aiebat, Deum unum, & trinum? Credo, inquam, etsi non capio. Credis, urget illè, Dei Filium pro te passum, ac mortuum esse? Credo, & adoro amorem. Credis, post hanc vitam superesse aliam, aut æternùm felicem, aut æternùm miseram? etiam hoc credo, respondi, imò postquam credo, Dei filium *animæ causâ* mortem oppetiisse, stulta est dubitatio, an anima sit immortalis: non potuit Mercator Sapiens
infini-

infinitum pretium expendere, ut vitam mihi emeret, quæ habeat finem. Al. Convincens ratiocinatio est. Aug. Perrexit: credis, ad vitam illam beatam unam esse viam, ex Ecclesia Christi? Assentior iterum, dixi, nam verba Christi convincunt? (a) *qui non crediderit, condemnabitur.* Instat ipse: credis, Ecclesiam Christi non esse aliam, præter Romanam? Credo, aio, neque possum prudenter dubitare, cum nulla sit alia, quæ suam à Christo probare originem possit. Quærit ampliùs: credis, quòd, quæ semel Ecclesia Christi fuit, nunquam potuerit à doctrina Christi deficere, & errare? affirmo, & palpo manibus, dicebam, quòd, si, Ecclesia Christi in sua doctrina vel *in uno articulo* contradicere doctrinæ Christi posset, & errare, necessariò consequatur, errare eam posse *in quolibet alio*, atque adeò incertam esse omnem Scripturam, incertam omnem interpretationem, incertam omnem traditionem, *dubia omnia*, cessarèque omnem obligationem credendi. Al. Haud dubiè: nemo enim tenetur credere id, de quo est dubium, an Christus docuerit: & Ipse aut non potuit nos obligare ad credendum doctrinæ suæ, aut debuit interpretem suum, qui est Ecclesia, infallibilem reddere. Aug. Nempe sicut Prophetas, & Apostolos reddidit. Itaque, quid vis ampliùs, exclamo tandem? *credo omnia, quæ credit Ecclesia Romana*, quid me prohibet baptizari? Al. Ah! & hodie rursus à baptismo abhorres? quæ levitas! quæ inconstantia! Aug. Audi, quæso! callidè huc me Simplicianus deduxerat. Mox ut audivit confessionem fidei tam plenam, & absolutam, protrahit Biblia de sinu, explicat, legit textum ex Epistola prima Pauli ad Corinthios capite sexto: en habes. Al. *Nolite errare: neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei possidebunt.* Aug. Attonuit me ista lectio, & obmutui: videbam enim, in angustias me esse redactum

(a) *Marc. 16.*

atum, unde non foret exitus. *Al.* Et quid hinc Presbyter? nam debet premere. *Aug.* Spatium respirandi non dedit. Credis hoc, Augustine, credis hoc? ingeminabat. Ego, qui sine repugnantia dixeram *credo omnia, quæ credit Ecclesia Romana*, nunc hæsitabam. Ipse verò, Epistola Pauli est, inquit, Epistola Canonica, Verbum Dei est: ita docet Romana Ecclesia: credis? *Al.* Revocasti professionem? *Aug.* Haud equidem, sed cum suspirio: difficilis Articulus est! dixi. Et Simplicianus, vah, intulit, nonne multò difficiliore Articulus credis? Deum in una natura Trinum, Filium Dei occisum, animam immortalem: & dubitas, an rapaces, an adulteri, an fures, an idolorum cultores excludendi sint à Regno Dei? respondi: de istis admitto; merentur enim excludi à Societate beata vitæ: de fornicariis, Pater, nimis severa videtur Pauli sententia. Tum ille iratus: Pauli sententia, inquit, est Dei sententia, & tu nempe corriges Judicium Dei? Deo fornicarii videntur digni æternâ pænâ, Augustino non videntur: quis errat? terribilis interrogatio fuit, ad quam Simplicianus responsum non expectavit, sed negans me esse dispositum ad recipiendam baptismi gratiam proripuit se, postremum hoc admonens, ut *per piam affectionem inclinarem me studiosè ad fidem Divino Verbo sine exceptione præstandam*. Hoc opus nunc molior, opus arduum, ut captivum intellectum in obsequium hujus articuli: *fornicarii Regnum Dei non possidebunt*. *Al.* Ah! me tædet ista toties ex te audire. Nam quousque! .. *Aug.* Condone hanc impatientiam innocentia tuæ! abi, ora pro me.

S C E N A II.

Alipius. Nebridius.

A*lipius.* Et, quæ est demum pertinacia, si ista non est! opportunus ades, Nebridi, nam ego meis questibus non invenio

venio modum. *Nebr.* Heu me! iterum vana spe nos Augustinus delusit? non ibit nobiscum ad Præsulem, ut pro baptismi gratia supplicet? *Al.* Heri promissa, avolarunt cum verbis. Ego nihil spero de viro tam vario, & mihi hæc amicitia quò magis protrahitur, hoc magis est noxia. *Nebr.* Inventa est veritas, quid ampliùs quærimus? etiam sine Augustino nos Ambrosius recipit: eamus, petamus baptismum soli! fortè exemplum nostrum fortiùs, quàm verba trahent: certè consulimus nobis, & à periculosa procrastinatione cavemus. *Al.* Propè absum, ut persuadeam. Timeo sanè, ne per moram novam incidam in malum antiquum, quod me Romæ vix non oppressit. *Nebri-* di, ingenium viri, eruditio, & Sapientiaè studium me in Africa ipsi conjunxit, quo fructu? (b) *auctoritate sua in hæresin Manetis me traxit.* Evasi ex hoc Labyrintho ipsius operâ, qui seduxerat: quid tum? idem iterum in tetriorem voraginem me præcipitem dedit. Romæ, quàm magnum desiderium veritatis advenientibus fuit, tam citò per procrastinationem defecit, quam excepit desperatio inveniendæ. Inde quàm ad alia omnia quærenda uterque effusi simus, tu nôsti, amice, & deplorâsti: nihil minùs agentes tamen, bonus Deus Mediolanum misit: subit nova spes, novaque cupido veritatis: inventa est, quid juvat? sentio fatale frigus, quod ex ista conversatione se propagat in me. Quæ desiderata delectabat tantopere, jam reperta vix afficit veritas: voluptas plùs agit, nempe cujus sicut experientiam nullam habeo, ita iste mihi curiositatem excitat tam vehementer, (c) *ut vix me teneam, ne experiar.* Vides, in quanto periculo sim. *Nebr.* Profectò tempus est, ut eripias te. Audiamus Simpliciani consilium. Ut ades in tempore, Pater, operâ est opus tuâ, ut soleris Alipium.

SCENA

(b) *L. 6. Conf. c. 7.*(c) *L. 6. Conf. c. 12.*

SCENA III.

Simplicianus. Alipius. Nebridius.

Simplicianus. Ego adsum, ut Augustino impendam, sicut heri addixi. Postquam ille meæ se directioni submisit, ut filium diligo, & bona spe ago. Non eadem vos solatur, nunc maxime, postquam veritati porrexit herbam, se victum fassus? *Al.* Nos suscipe, quæso, istum abdica: dedecori tibi est nomen Patris de filio tali. *Simp.* Hoc Deus, hoc Ambrosius nolit, qui animam hanc nobilem tradidit curæ meæ. *Nebr.* Scilicet ne operam perdas, & oleum, hic noster est timor. *Simp.* De me timete, de Deo sperate. Nihil est Deo difficile. *Al.* Sed qui nolentem non cogit, tandem deserit. *Simp.* Sic est. Non omnibus exhibet Deus longam patientiam: misericors in aliis, in aliis severus est, nunquam injurius. In Augustino, ut apparet, longanimis est: divitias suæ bonitatis si vult in ipso ostendere, eia, cooperemur alacriter, & non deficiamus. Me, de quibus narrâstis mihi, lacrymæ Monicæ in fiduciam erigunt: cum Presbytero Africano judico: *ut filius tantarum lacrymarum pereat, non potest fieri.* *Al.* Credo, nisi tamen obstinatè perire velit. *Simp.* Etiam obstinatio morbus est. Expectandus est motus aquæ, & cum descenderit Angelus, mittendus in piscinam æger, ut sanus fiat. Felix, qui hominem habet juvantem se, quando *de ordinaria lege* non aliter hominem juvare, nisi per hominem statuit Deus. Amici, vos de Augustino nimis abjectè sentitis. Nondum fecit totum, quod ad conversionem requiritur, sed neque nihil fecit. Manichæos deseruit, ab Academicis discessit, fervore novo in veritatis inquisitionem incubuit, vicit superbiam, Catechúmeni gradum suscepit, denique Directorem admisit, cui conscientiam credat, quem in dubiis consulat, à quo

quo solatium admittat in difficultatibus, quæ se objicere meliora cogitantibus solent. Quid? hæc omnia qui fecit, parum, aut nihil fecisse vobis videtur? *Nebr.* Quid juvat, se submisisse tibi, si nihil obediat? *Al.* Ego, Pater, artem dirigendi animas non intelligo. Agendum tamen aiunt, quod Medici agunt, qui si plura remedia sine effectu adhibuerint ægroto, ne tempus, & famam perdant, dicunt: (d) *curavimus Babylonem, & non est sanata: derelinquamus eam!* & laborem ad alios utiliùs transferunt. *Simp.* Omnino, si spes frugis est nulla, probo, quod dicis: neque enim Sapientis est littus arare. Sed hoc tu de illis loquere, qui nulli Directori se credunt, sibi solis sapientes, quod stultorum est proprium. Isti enim, vel, quòd ægrotent, non sciunt, vel amant morbum, & nolunt sanari: secùs de Medico quærent. At, qui curam sui à viro idoneo suscipi cupiunt, digni sunt, ut cum cura curentur. Mihi ille Pastor non placet, qui, postquam ovis aberrans ad primos clamores non redit, mox abjicit animum, & cessat officiò fungi. Si Pastor vult esse, laborem non fugiat, fugitivam persequatur, perditam per montes & valles requirat, relictis etiam nonaginta novem alijs, quibus non opus est curâ tam anxia. Quod si persequi fugientem decet, quantò diligentius occurrendum est stanti, & dubitanti de via? qui statim deserit animam, quæ directionem non sequitur, superbus est, & credit, animæ correctionem opus esse suum, non Dei: aut, si Dei esse credit, cur retrahit ab aratro manum, priusquam sciat, decrevisse Deum, nec pluviâ, nec rore ultrâ rigare terram, huc usque frugiferam nihil. Nostrum est, quicumque animarum curam suscepimus; nostrum est remove *lapidem à sepulchro*: id postquam fecimus, si non continuò surrexerit mortuus, num ideò reponendum est saxum loco? ab eundem à tumulo? Imò patienter expectare debemus, donec ei, qui iussit lapidem tollere, placeat inclamare

L

cada-

(d) *Jer. 51.*

cadaveri voce omnipotenti: *Lazare, veni foras!* frustra Spiritui tempus determinamus: quando vult, spirat, & non est utilis animabus Director, impatiens moræ. *Nebr.* Laudo zelum, & fiduciam zeli. Sed hoc, Pater, non capimus nos, quòd sperare bene de illo possis, qui de se ipse jam desperavit. *Al.* Negat Augustinus (tu scis) negat, se posse credere, quòd fornicarii à regno cælorum sint excludendi, negat, quòd carnis vitium sit flagitium grave, negat denique, se posse castè vivere, nisi miserè: quid sic persuaso suadebis? *Simp.* Ecce hic ipse lapis est, quem jubet Dominus, ut removeam ab ostio monumenti: laborabo, ut ab intellectu incipiam, & convincam, quòd possit. *Al.* Nihil afferes, quod non jam attulimus: disputando Augustinus non vincitur facilè: propria magnis ingeniis est pertinacia, tunc minimè expugnabilis, cum amant errorem. *Simp.* Disputando non cupio vincere, rogando vincam. *Nebr.* Quid rogabis? *Simp.* Ut hebdomadam saltem unam experiri velit, quid possit. *Al.* Hebdomadam unam castè vivere, quid hoc proffit? *Simp.* Plurimum. Nam post hebdomadam redibo, & rogabo, ut alteram, ut tertiam, ut quartam adjiciat. *Nebr.* Etiam hoc parum est. *Simp.* Minimè. Nam, uti magnis ingeniis molestum est ab alijs de errore convinci, ita jucundum est, convinci à se; experimentum in Augustino jam à me Romæ factum meministis. Jam quid putatis? Si hebdomadam unam, si alteram, & tertiam castus vixerit Augustinus, nunquid proprià convictus experienciâ intelliget, se errasse? *Al.* Prudenter, Pater, & ad solatium mihi: respirat spes mea, si tamen hoc saltem impetres hodie, ut hebdomadam unam promittat. *Nebr.* Lentum remedium affers. Si tamen Deus expectat patiens istam moram, decet, Alipi, ut patiamur & nos, quòd corrigere modò non possumus. Pater, aggredere sanctum negotium. *Simp.* Quid agit? *Al.* Secum disputat, an credendum sit Paulo, fornicariis cælum cludenti. *Simp.* Laudetur Deus

Deus! Augustinus signa bonæ indolis, & animi haud sanè penitus corrupti habet. Si abjecisset Paulum, si negasset oculos textui, si occurrentem memoriæ, instar blasphemæ cogitationis excluderet, tum verò malè de viro sentirem: nunc hæc inquires, hoc studium inveniendi, quid opponat, judico, indicium est mentis aversantis in peccato malitiam, & tantum fragilitatem excusare contendentis: Cùm intellexerit, inanem etiam hanc contentionem esse, credite mihi, superabit naturam gratia, & *voluntas imperiosa* redibit in dominium, quod carni muliebriter cesserat. *Al.* Jucundum vaticinium est: date Superi, ut citò videamus eventum. *Simp.* Orate! amici estis: non potestis amicum juvare potentiùs, quàm orando. A coelo venire auxilium debet mihi, ut loquar cum fructu, Augustino, ut me audiat cum profectu. *Nebr.* Me miseret hominis. Exequamur consilium in vicino sacello. *Al.* Socium habes.

S C E N A IV.

Simplicianus. Augustinus.

Simplicianus. Sic estis amici boni. Invenio absorptum in Paulo. Nunquid, Augustine, an non reperias locum tibi mitiorem requiris? frustra es. Nunquam sibi contradicit Apostolus: *fornicarii regnum Dei non possidebunt!* est veritas fidei. *Aug.* Video, Pater, me reluctari non posse, nisi rursus à fide deficiam. *Simp.* Quid igitur decretum est tibi? adhuc vitæ castæ propositum horres? *Aug.* Ah! ingens amor veritatis semper fuit, quòd crederem, in ejus amplexu beatum me fore. Decepi me: miserum ipse amplexus facit! *Simp.* Beatum Baptismus faciet, si accedis cum serio dolore de commissis peccatis, & cum vero proposito de non repetendis. *Aug.* Tu semper propositum urges. Si non servabo, quid prodest? si ser-

L 2

vabo

vabo autem, vitam tristem, ac tædiō plenam vivam. *Simp.* Ecce! vitam tristem! nondum planè desiit Epicurus exercere in te imperium, quod permisisti. Augustine, non est tibi *de beatitudine hominis* sensus bonus, & ego hoc affirmo, non solùm beatitudini vitæ futuræ, sed præsentī etiam hominis felicitati nihil magis opponi, quàm amores prohibitos. *Aug.* Thesin ponis, quam si probaveris, captivam cum intellectu forsitan & voluntatem trahes. *Simp.* Gaudeo occasionem offerri de beatitudine disputandi cum viro erudito in sententiis Philosophorum. Sed altiùs exordiendum est, & paulò longior sermo habendus, si pateris moram. *Aug.* Avidè audio. *Simp.* Consideamus, & agamus pacatè. *Aug.* Omnino hoc cupio, & ideò necesse erit ante omnia, ut conveniamus *in nomine*, & quid nempe hæc vox, *beatitudo*, significet. *Simp.* Volebam hoc ipsum monere. Certum est enim, quòd, sicut nemo compos rationis est, qui non intelligit, dari aliquem Deum, sic nemo unus sit, qui non appetat beatus esse: verùm sic etiam nomen *beatitudinis* tributum est sæpe ipsi miseræ, prorsus sicut nomen Dei à malè sanis impositum est lapidibus ac truncis, ipsisque dæmonibus. Tanti refert ideam veram de re formare, quam vox repræsentat. *Aug.* Omnino tanti. Tu igitur quid intelligis per hanc vocem, *beatitudo*? *Simp.* Cum Sophis loquor: *Beatitudo est omnium bonorum securæ possessio.* *Aug.* Placet descriptio. Certum est enim, Deum beatum esse, nec esse beatum aliter, quàm, quòd *habeat omne bonum*, & habeat *securè*, sine metu perdendi. *Simp.* A definitione descendamus ad divisionem. Complector omne genus, si dico, unam esse beatitudinem vitæ *future*, alteram *præsentis*, seu quod idem est, unam *in re*, alteram *in spe.* *Aug.* Quod idem est, inquis, quasi supponeres, hujus vitæ beatitudinem *in re* nullam esse, totam *in sola spe.* Loqueris contra communem hominum sensum, quorum plerique beatitudinem utramque appetunt, aliqui etiam præsentem

tem

tem solam, de futura aut nihil credentes, aut sperantes nihil. *Simp.* Communis error sanæ rationi non prævalet. Qui putant, in hac vita se posse beatos esse, Augustine, in quibus rebus beatitudinem suam constituunt? ah! in bonis corporis, bonis animæ, bonis fortunæ, quorum aliqua non merentur nomen boni, omnia possidentur parum securè. Bona fortunæ casus dissipat, bona corporis mille morbi pestum-dant, bona animæ corrumpunt curæ, timores, rædia. Denique cum vita omnia mors aufert, sæpe minimè opinantem occupans. Ubi igitur in hac vita, & quando, & quamdiu, aut *omnium bonorum*, aut etiam aliquorum est *secura possessio*? *in re*, Augustine, nunquam, & nusquam esse potest, *in spe tantùm.* *Aug.* Seria consideratio est. Sed mihi videris tuæ divisioni contraria dicere: nam beatitudo, quæ est *in spe*, *in præsentis* est nulla, neque adeò debebas duo genera beatitudinis ponere: quod enim spero, futurum est, non est præsens. *Simp.* Adverte vir bone, ne confundas spem, & quod vocamus, objectum spei. Objectum spei futurum est, quis hoc negat? sed spes est præsens: *hac spe* beatus sum jam nunc, in vita hac. *Aug.* Nunc puto, me assequi sensum animi tui. *Spes futuræ beatitudinis est ipsa beatitudo vitæ præsentis*, nunquid hoc dicis? *Simp.* Ita est. Non divitiarum, non opes, non deliciae ullæ, sed spes, Augustine, spes vitæ futuræ constituit beatitudinem vitæ præsentis. Spe hac qui caret, beatus non est, etsi cætera bona omnia habeat: spem qui habet, beatus est, etsi cæteris bonis omnibus careat: atque adeò ut sis beatus in hac vita, spes sola sufficit, sine spe nihil. Lætus forsan esse potes sine spe, beatus non, nisi beatum vocare velis hominem, qui per maniam vel somnium lætus est, & velut assidens convivio plaudit sibi. Sed nempe ejusmodi beatitudo evanescit ad ortum solis, nec tanti est, ut ab hominibus sano appetatur. *Aug.* Nova hæc mihi sententia est. *Simp.* Nem-

pe quia Evangelica: (e) *beati pauperes, beati, qui esuriunt, beati, qui patiuntur*, & utique non solum beati futuri, nam *beati estis*, ait Christus, nempe quia *beatitudo præsens* constituitur in *spe futurae*. Fidei suffragatur etiam ratio. Recole animo beatitudinis conceptum. *Beatitudo est bonorum omnium securam possessionem*: talis possessio non datur in hac vita, nisi in spe: non datur igitur nunc beatitudo, nisi in spe. Quid? num rectè colligo? *Aug.* Rectè omnino, & ego video inanes esse omnes contentiones ac labores, quibus consumimus nos, nisi huc tendant, ut obtineamus spem vitæ futuræ. Unum adhuc est, quod opponam. Si beatus est, qui habet spem, beati omnes sumus, qui vitam futuram credimus. Quis enim est, qui hoc credit, & non sperat, beatum se fore? *Simp.* Bene opponis. Sed distinguere inter spem & spem est necesse: nam, cum beatitudo sit *secura* possessio, patet, non à quavis spe hominem beatum fieri, sed à spe illa sola, quæ securam beatitudinis facit, & quæ non in vana opinione, sed *in Dei promissis fundatur*. Omnes sperant, beatos se fore, quo Argumento sperant? Alii putant, se peccata jam expiâsse, postquam obiter percussio pectore reos se esse confessi sunt; fallax persuasio est: alii credunt, nunquam fore, ut moriantur, priusquam rite dispositi sint; temeraria præsumptio est, non est spes. *Aug.* Si tu hoc exigis, ut spes *securam* beatitudinis faciat, vide, ne teipsum ferias. Conclusio enim sequitur, quòd in hac vita nemo beatus fit, nemo enim, dum vivit, *securus* est de salute: sic audio etiam vos docere. *Simp.* Augustine, hìc verbò abuteris: certitudine fidei *certus* est nemo de salute, hoc docemus: at *securus* esse possum, si seriò volo. Pone, filium rustici adoptari à rege? certusne est, se regni hæredem fore? *Aug.* Non fanè, nam multi possunt obstare casus. *Simp.* At securus est tamen, & regio verbo fidens nihil anxius expectat sceptrum, spe sua felix, qua certum est ipsi regnum, quamquam ipse de regno certus non sit.

Aug.

(e) *Mat. 5.*

Aug. Subtilis est disputatio, & litigamus de verbis: tu docerem. Quæro: perire timeas, an non? *Simp.* Timeo vehementer. *Aug.* Si securus es de salute, cur times? *Simp.* Timeo, quia certus non sum. Cæterum per hoc ipsum securus sum, quia timeo, & timere me scio. *Aug.* Myſteria loqueris. *Simp.* Plana ſunt omnia: (f) *Beatus homo, qui ſemper eſt pavidus!* verba ſunt Oris Divini, *beatus* utique, quia *securus* beatitudinis, non quia certus, nam qui certus eſt, non eſt pavidus: quid vis amplius? *Aug.* *Nescit homo, utrum odio, an amore ſit dignus,* idem Oraculum loquitur: quis igitur eſt securus? *Simp.* Qui propter hoc ipſum, quia nescit hoc, ſemper eſt pavidus. Hic enim pavor parit ſpem, & ſpes beatum facit: non enim eſt pavor anxius, qui ſpei dulcedinem corrumpat, ſed pavor cautus, pavor qui facit, ut peccata præterita deſlere nunquam deſinam, & contra futura omni diligentia me obarmem. Breviter: quia certus non ſum de ſalute, ideò timeo, quia timeo, cautus ſum, & quia cautus ſum, *secure* ſpero, ſecuritate, quæ in bonæ, quietæque conſcientiæ teſtimonio fundat ſe: hæc ſpes beatum facit jam nunc, in vita hac. *Aug.* Video ad lumen Rationis aliam imaginem Beatitudinis, quam qualem mihi pinxerant paſſiones, & phantasia. Qui credit, ſuperſeſſe vitam aliam poſt vitam hanc, ſi vult jam nunc beatus eſſe, huc debet conſtituti totis viribus, ut perveniat ad *ſpem ſecuram* futuræ felicitatis. Cùm abeſt iſta ſpes, neceſſe eſt, ut adſit aut triftitia, aut infania, hoc eſt, *mera miſeria*: levidenter intelligo. *Simp.* Uti- que. Nam ſi quis vivit *ſine ſpe* vitæ melioris, aut non percipit, quid illa vita ſit, quod infani eſt, aut ſi capit, fieri non poteſt, ut non ſit triftis. Nunc reflecte animum, Auguſtine, ad noſtram theſin: aiebam, etiam *hujus vitæ beatitudini* nihil magis opponi quàm amores prohibitos, ſine quibus tu miſeram vitam putas. Argumentare. *Aug.* Sentio vim: *Beatitudo hujus vitæ conſiſtit*

(f) Prov. 8-

consistit in spe alterius: Spes nulla est, nisi ex timore, qui cautelam imperat, ne Deum offendam: & huic timori, ac cautelæ nihil magis opponitur, quàm libertas amorum: video omnia! Simp. Et planè sequitur: ergò nihil magis opponitur præsentì etiam Beatitudini, quàm!... nulla ratio huic Soriti resistet. Aug. Diutiùs ruminari me sine doctrinam tam solidam. Simp. Gau- deo, quòd velis. Sed en! quis huc?

S C E N A V.

Accedit Navigius-

Augustinus. Superi! fratrem ego video! Nav. Salve Frater! cum Matre adsum. Per terras, & maria sequitur Monica Augustinum, tristitiam habens, ut mulier cum parit, donec te Christo pepererit. Aug. Navigi, hic mihi Pater in spiritu est: venerare. Nav. O Pater optime, ut Angelum salutis colo. Simp. Lætus occursum est, & omen bonum. Cæterum tu istum titulum Ambrosio tribue: ego Præsulis interpres sum. Nav. Et quam spem mihi de fratre facis? Simp. Saluta Matrem, Augustine: ego, si permittis, comes eo. Videre Monicam juvat, & audiet; quæ ad solatium sint. Aug. O pia Mater, quousque fatigo te! sed eamus! videat lacrymas suas non esse steriles, ut lacrymetur amplius. Nav. Ut lacrymetur amplius! atqui tuum est, ut abstergas. Aug. Opto, ut possim. Simp. Dabit Deus.



CHO-

C H O R U S.

Anthropus cum novæ vitæ difficultatibus
luctans animatur à Spe, modùmque
vincendi tentationes docetur.

Anthropus. Gratia. Timor. Fides. Spes *in persona*
Architecti. Quinque Sensus. Septem Vicia Capitalia *in*
persona Militum. Consuetudo prava, primùm *in Oeco-*
nomi, deinde *in Belliducis* persona.

Visus. V Ah! vita Melancholica!
Tactus. Nusquam ullæ se movent aviculæ.
Odoratus. Quò aufugistis nostræ deliciae?
Auditus. Quò abiistis gaudia? quò cantus, & carmina?
Gustus. Ubi sunt mei *cucumeres, porrique, & cepe, & allia?*
Omnes. Disparuerunt omnia! (b) num. II.
Vah vita Melancholica!
Gratia. Abi sceleste, abi pestis! æternùm isthinc exula! (c)
Consuetudo. Procul non abeo. Insulta ferox gratia!
Non diu eris Domina. Exeo, rideo, redeo.
Visus. Prò! ejicitur etiam Oeconomus! quid agitur?
Gustus. Nutritius eripitur?
Consuetudo. Nolite pro me dolere, charissimi!
Vos, vos estis miseri.
Ego in exilium, vos ibitis in carcerem.

M

Gratia

(a) Sensus redunt à deliciis, quas ex fuga retrahere frustra studuerunt.

(b) Symbola sensualium voluptatum. (c) Consuetudo ex ædibus ejicitur, &
abit cum sarcina scelerum,

Gratia intus dominatur :
 Timor silvam excidit ,
 Fides arcem designavit ,
 Et in ea Spes jam arcem architectatur :
 Surrexit Templum , Armamentarium , Curia ,
 Struuntur muri , turres , & propugnacula :
 Verbo : Carcer , carcer vobis paratur.

Auditus. Heu ! pater in tyrannum mutatur ?

Quinq. Sens. Miseri sumus , miseri filii !

Consuetudo. Quare fertis patienter , & taciti ?

Aria.

Este fortes , repugnate !

Nihil juvat gemere.

Agitur de libertate ;

Currite , defendite !

Arma juvat expedire ,

Bella juvat gerere :

Nobiles sub jugum ire

Nunquam solent animæ.

Auditus. Consilium suggeris generosum ,

Sed quo fructu ? qua spe ?

Consuetudo. Audite me.

(exivi : Luc. 11.

Ego paulò post revertar in domum meam , unde

Vado , & assumo septem alios Spiritus nequiores me ,

Quorum si vel uni portam unam vestrùm unus

Ingrediemur , arcem vastabimus , (aperiet

Et erunt posteriora pejora prioribus.

Visus.

Placet , quod suades. Sed quid ?

Si pater diffidens claves portarum nobis auferat ?

Consuetudo. Ut sit mitior , & aliquid indulgeat ,

Fingite , (d)

Sub

(d) Fraus diaboli contra incipientes,

Sub novis legibus haud invitos vos vivere,
 Modò liceat interdum exire,
 Et *auræ liberioris* beneficio
 Tædia mancipatûs lenire.

Odoratus. Sapis, amice! fædus fit tecum perpetuum;

Omnes. Fædus fit perpetuum!

Consuetudo. Sit perpetuum! Intrate:

Ego ad socios propero, dum favet *occafio*.

Visus. Superi! quale ædificium! ...*

Fingimus gaudium! ...

Chorus.

Jo! Fratres plaudite!

Vivat Pater! vivat!

Definamus perditas

Plangere delicias!

Illæ erant ludicræ,

Istæ sunt magnificæ:

Jo! Fratres plaudite!

Vivat Pater! vivat!

Anthropus. Sic placetis filii. Laudo gravitatem Judicii:

Denique, denique discetis sapere.

At verò cùm vagari *assueveritis*,

Jam repenti hos *intra limites* tenere vos, num pote-

Omnes. Possumus! possumus!

(ritis?)

Gustus.

Imò paulatim jucundum fiet, quidquid triste videtur,

Quia consuetudo prava à consuetudine meliore vin-

Anthropus.

Sic erit. Venite,

(cetur.

Singula lustrate mysteria, considerate.

In *Templo* habitat Gratia, fides in *Curia*,

Timor *ad portas* excubat:

Spes mecum erit in *propugnaculis*,

M 2

Area

* Exhibetur arx cum munimentis.

Area intima adhuc vacua relicta est Amori,
Qui proximè veniet, & hortum constituet ibi,
Nobis, & sibi.

Omnes.

Ad votum sunt omnia.
Videamus! gaudeamus!*

Spes.

Verba sunt optima.

Tu noli fidere subdolis: vigila,

Opera examina.

Ne hostes sint *Domestici*, hoc metuendum maximè:
Extra te, nihil metue.

Nisi te ipse tradideris, arx est inexpugnabilis.

Unicum, necesse est, ut fortiter teneas monitum.

Aria.

Contemptu ut solo

Defendas te, volo:

Contemptu potes vincere;

Hæc vis divinæ Gratix,

Hæc gloria est Christi.

Si hostis oppugnabit,

Si furet, si vallabit:

Si machinis urgebit,

Si artes adhibebit:

Non tamen potest cogere,

Ut arcem velis dedere:

Dic: *nolo*: & vicisti.

Anthropus.

Felix est mea conditio.

Claude portas: stationem occupo.

Eja! si quis est hostis, aggredere! provoco.

Consuetudo.

Audio. Puer, pulsa tympanum,

Blanditias adhibe: *Minae* sequentur.

Spes.

(e)

(e) Duo sunt genera tentationum, non plura,
* abeunt.

Spes. Certandum est: Ecce movet se hostis.
Cupido. Amicus sum, si velis.

Aria.

Sum Amor, pacem colo:
 Pax est, quam à te volo:
 Voluptas mea Domina
 De tua amicitia
 Desiderat gaudere,
 Hanc arcem obtinere.

Anthropus. Nolo:

2.

Cupido. Si tradis, felix eris:
 Non est, non est in terris
 Beatior conditio,
 Præ nobili servitio,
 Quod præstant Voluptati
 Fortunæ Candidati.

Anthropus. Nolo!

Cupido. Admitte me, habeo litteras,
 Ex quibus, si legeris, apertius intelligas,
 Quanta sit, quam Domina mea tibi promittit
 Futura felicitas.

Anthropus. Nolo.

Cupido. Summos honores:

Anthropus. Nolo!

Cupido. Maximas divitias:

Anthropus. Nolo!

Cupido. Omnes delicias:

Anthropus. Nolo!

Cupido. Crude, quid dicas, non intelligis.
 Ulciscetur injuriam Domina: iram non metuis!

M 3

En

En alter Legatus subit: dede te! iterum moneo.
Anthropus. Nolo!
Consuetudo. Anthrope, nôsti me?
Anthropus. Novi primogenitum Sathanæ.
Consuetudo. Expulisti me, redeo: aut recipe, aut injuriam vindico.
 Solus non venio. Adeste socii!
 Ultima experieris, nisi te dedis.
Anthropus. Nolo!
Consuetudo. Morieris!
Anthropus. Mori possum; vinci non possum, nisi volo: Nolo!
Consuetudo. Ergò agite! suas quisque in aciem turmas educite,
 Portas singuli singulas obsidete, evertite, diruite!
Spes. Tu fortiter sta, & nihil metue!

Chorus Vitiorum.

Circumvallabimus!
 Coangustabimus!
 Ad terram prosternemus,
 Nec lapidem sub lapide
 Immotum relinquemus.

Anthropus. Spes.
 Circumvallabitis!
 Coangustabitis!
 Sed non prosternetis:
 Vos strati, Deo auspice,
 Audaciam luetis!

Timor. Anthrope! Anthrope! huc arma propera!
 Portas effringunt rebelles filii! accelera!
Anthropus. Heu me! foris pugnae, intus timores!
Fides. A me Scutum accipe!

(f)

Gratia

(f) 2. Cor. 7.

Gratia. * In hoc Signo vinces: sequere me!
Spes. Spes non confundit: sequere!

Repetitur Chorus.

Consuet. Io! calescit praelium: meis partibus accesserunt Domestici:

Jam non diu amplius absurdum illud: *Nolo!*

Repetet Anthropus.

Circuibo: certum est, portam inveniam, qua introeam:

Discederem, si nemo esset intus, a quo juvari me crederem.

Nam absque hoc auxilio, nihil proficio,

Etiamsi totus mihi succurrat inferorum exercitus.

Homo, homo contra se debet juvare me,

Et frustra auctorem scelerum accusat Diabolum:

Diabolus innocens est.

Aria.

I-

Miser Diabole, quanta de te

Crimina debes audire!

Non est flagitium, quod non a te

Homines credant venire.

Machus, & latro, & praedo, & fur.

Lupus vocaris, & leo:

Dicitis: *talis est!* dicite: cur!

Vincet, vel Judice Deo.

2.

Eja, vir bone, ingredi te,

Verum si cupis rescire:

Intus est hostis, qui prodidit te:

Dæmoni licet dormire.

Tu tibi malus Diabolus sis,

Te, homo, disce timere:

O! a te tibi cavere si scis,

Dæmonem potes ridere.

PUN-

3 Vexillum porrigit cruce signatum,

PUNCTUM II.

Lucta cum Voluntate.

SCENA I.

Augustinus. Navigius. Alipius Nebridius.

Nebrius Ego affluxi solatiis, & duleissima pro Augustino oratio fuit. *Al.* Ego ut pumex arui. Credo, quia mihi de Augustini correctione spes minus blanditur, quam tibi: Videamus, quid fiat. * Nemo audit. *Nebr.* Fors abiit domo. Imò venit. Augustine! *Aug.* Relinquitte mihi me! *Nav.* Frater, obsecro! .. ô amici juvate me! *Al.* Navigium Mediolani videmus? *Nav.* Cum Matre adsum! *Nebr.* Jucundus occurfus est. *Al.* Quid vult ista fratris à fratre fuga? *Nav.* Ah! pudet narrare. *Nebr.* Credo, quia spei, quæ huc excivit Matrem, res non respondet ad votum. *Nav.* Utique non respondet. Sperabamus, inventuros nos Augustinum vel baptizatum jam, vel ad Baptismum in via. Neutrum egistis! igitur cui bono abiistis ex Africa? *Al.* Nobis succenses? in manu Dei est cor hominis: inclinabit, cum volet. *Nav.* Scio, sed non vult semper manu sua: utitur instrumentis plerumque, si non repugnant. Vos abduxistis fratrem à Matre, quasi meliorem redituri: hæc fides promissi est? novis lacrymâs occiditur Monica, hoc habemus. *Al.* Quod te, idem & nos malè habet. Sed tu nescis, opinor, quantò faciliùs per conversationem cum malis, ex bonis mali fiant, quàm ex malis boni per conversationem cum bonis. *Nebr.* Non tamen nihil actum est: Augustinus Catholicè credit. *Nav.* Et Ethnicè vivit! magna laus! grande solatium! *Al.* Patientia! Ambrosius & Simplicianus præsta-

* Pulsata

præstabant, quod non potuimus nos: quanquam neque nos adhuc cessavimus operam jungere, quantulacunque est, suadendo, hortando, arguendo, orando. Si quid insuper desiderat Monica, ecce nos! *Nav.* Credebamus, à Melania avulsum jam penitus castitatis, sicut veritatis, amori deditum esse: deceptam se Mater dolet. *Al.* Quid? credidistis Mediolani nullam fæminam dari? amice, nec nobis, nec Matri satis comperta vis amoris carnalis fuit, quo se mulieribus Augustinus adstrinxit. Vitam cælibem sicut studiosis Sapientiæ ad finem suum magis utilis est, sic suadebamus: ideò urgebamus discessum ex Africa. Nunc pœnitent consilij, & fortè prudentiùs consensissemus in nuptias, quas Monica suaserat: nam eheu! abiit ex Africa Augustinus, sed Africanus esse non desiit. *Nav.* Advertimus. Vix enim auditum est Melaniæ nomen, rubor in ore, ignis in oculis arsit. *Nebr.* Quid enim narrâstis de fæmina? *Nav.* Factum virile. (a) *Votò castitatis perpetuæ obstrinxit se Deo.* *Al.* Prodigium loqueris. Credo, hæc nova perturbâsse amasium. *Nebr.* Et ferunt perturbationis materiam. *Nav.* Exclamavit: Melania votum fecit! nec plura: proripuit se ex Matris conspectu, persequor, revoco, nihil ago, abdidit se; ira, moeror, an pudor agitet, dubius sum.

S C E N A II.

Accedit Simplicianus.

Simplicianus. Putabam Augustinum vobiscum esse: quò evasit? *Al.* Cubiculo se inclusit. *Simpl.* Spiritum salutis parturit: juvari debet. *Nav.* Bonum credis: malum ego. *Simp.* Sapiens Mater pudorem utilem ab exemplo fæminæ excitavit in viro: non est negligenda mihi hora, qua video motum aquæ huic paralytico salutaris. Solatium Monicæ feci ex ista fuga,
 N mihi

(a). *L. 6, Conf. 6, 15.*

mihi spem. *Nebr.* Nescio, an non fallaris. *Nav.* Ego certè video, interpretationem hujus fugæ arbitrariam esse, & pro affectu. *Simp.* Effectus dabit. Cæterùm ego hoc queror, quòd de Augustino non satis sincerè relatum sit mihi hætenus, qualis sit. Dixistis, fuisse hæreticum, esse ambitiosum, propendere ad pertinaciam, amores amare: amoribus autem jam *ab annis pluribus* esse implicitum, non dixistis, & quia neque ipse hætenus hoc falsus est mihi, quam poteram medicinam adhibere, ut morbo, quem *inveteratum esse* ignorabam, cum fructu sufficeret? hodie mihi Monica statum animæ explicavit, quam curo. Juva me Deus, & ero felicior! Arte, Amici, aggrediar virum, ut ipse fateatur mihi, quod hætenus tacuit: vos finite solum cum solo agere: nunc tempus est, quo & indiget meâ operâ, & utetur. Monica orat, & lacrymatur: ipse turbatus est, & luctatur: ego sentio urgeri me, ut urgeam opus perficere, quod Deus cœpit: locum cedite, quia amici estis. *Al.* Libenter. Ardere te video ardore divino. *Nav.* Matrem solatum imus. *Nebr.* Digna est. Redituros etiam tu solaberis, Pater? *Simp.* Deo auspice, spero. Intellectus à veritate convictus subjecit se: cum voluntate facilius erit pugna in bona indole, qualem Augustinus est nactus. *Al. Nebr. Nav.* Victorem te cœlum velit! *Simp.* Urgete Monicam, ut nunc maximè pergat orare: orate etiam, orate! sic nutantes muros oppugnabimus simul. Cadat Jericho, ut ædificentur muri Jerusalem! *Omnes.* O cadat!

S C E N A III.

Augustinus. Simplicianus.

Simplicianus. Augustine! *Aug.* Sine Pater, sine obsecro! insolitus me turbo agit. *Simp.* De cœlo est, *tanquam advenientis Spiritus vehementis.* Pande fores, ut impleat totam domum.

num. Aug. Modò! ecce modò venio. Luctor cum fluctibus, velis, remisque adnavigo: Sine paululum, & in portum exiliam. *Simp.* Ut succollem, adveni. Sæpe fuisti proximus portui: quantillus ventus suffecit, ut in mare turbidum rejiceret navem, quæ per conatum non magnum jam applicita littori quiesceret secura in sicco! Aug. Parum abssum, & jam exscenderem, nisi me bellua terreret, quæ aperto rictu in arena expectat. *Simp.* Intellego te: jam velles castè vivere, sed dubitas, an possis, & difficultas te terret. Apage cum tuo ignavo vellem, vellem! dic: volo, volo! hæc vox fugabit belluam, & disparebit omnis molestia. Aug. Tumultus pectoris se ingens movet, & (b) fremit Spiritus indignans turbulentissima indignatione, quòd non eam in placitum, & pactum tecum, Deus meus, in quod eundum esse omnia ossa clamant. *Simp.* Potes, potes ire, si velis. Nam istud ire nihil est aliud, quàm velle ire, sed velle fortiter, & integrè, & non semi-sauciam hæc, atque hæc versare, & jactare voluntatem, hæc parte assurgentem, cum alia parte cadente luctantem. In hoc negotio facultas & voluntas sunt idem, ipsùmque velle jam est facere. Melania votum fecit: non pudet, quòd te præcesserit? aut non pudet saltem, quòd ne quidem audeas sequi? Aug. Pudet, & urgeo in sequelam. Sed nondum possum! Melania votum fecit: ego ne quidem serium propositum adhuc extorqueo à me! non possum sanè, non possum modò. *Simp.* Difficulter potes, hoc credo, omnino non posse, falsum est. Vince te! de vita beata agitur: res, & spes perit, nisi tandem sis vir. Aug. Nunc nondum possum! & tu tempus, ac operam perdis, nempe, quia nondum satis nôsti me, neque capis, sub quàm gravi tyrannide gemam. *Simp.* Er tu nescis, quid homo possit, si velit ferio. Ah! Augustine, quantum te amo, tantum saluti timeo tanto tempore resistentis tot stimulis, tantis gratijs. Aug. Omen cessa. Bonus & patiens Deus est: non projiciet fragile vas
N 2 quod

(b) L. 8. Conf. c. 8.

quod plasmavit de gleba. Exempla scimus. *Simp.* Exempla scimus! heu! quanta jam projecit, etiam pretiosa, etiam quæ ex auro purissimo fuderat! Angelis non pepercit, & Augustinus non metuat! Bonus est Deus etiam malis, ita est, *sed non omnibus malis*: multis scelus primum & unicum fatale fuit. Patiens est Deus, ita est: stat, & sæpe diu stat ad ostium cordis, admitti petit, clamat, pulsat semel, iterum, rursus: *sed* repente cessat, & abit. Quando? id nescimus. Beatus servus, quem, cùm pulsat Dominus, invenerit vigilantem! Infelix servus malus & piger, cui per somnolentiam grave est aperire pulsanti! *Aug.* Intellego totum, probo omnia, & *aliquando* sequar. Nunc! ... *Simp.* Si aliquando, quæso te, cur non modò? cur non hac hora? quis ægrotus, si hodie potest sanari, differt in crastinum? *Aug.* Modò non possum! *Simp.* Et *aliquando* poteris? imò crescit difficultas per moram, & fit ex funiculo funis. Aut die, obsecro, confidenter, quare non potes modò? nunquid adhuc hæret animo illud Manétis dogma: *non sumus nos, qui peccamus, sed prava in nobis peccat natura?* *Aug.* Absit! pudet potuisse credere stultitias tam absurdas. *Simp.* Catholica Religio displicet? *Aug.* Placet, sed terret, quia nimis est sancta. *Simp.* Sanctitas Religionis allicere in amplexum virum prudentem debet, non absterrere. *Aug.* Amplectar aliquando. Catholicus mori volo: vivere, ut lubet, sine. *Simp.* Augustine, Deus non irridetur. Qualis mori cupis, talis ut vivas, necesse est, & prudentia imperat, quæ tantam in tanto negotio temeritatem damnat utique! *Aug.* Quid disputas? corpus hominis Baptismi virtute Templum Dei fieri dicitis, quod violare per libidinem quasi sacrilegium sit: scis, opprobrium meum: non possum castè vivere! & faciliùs ignoscet Deus non baptizato, quàm si ablutus revertar ad volutabrum. *Simp.* Graviùs peccabis, fateor, si repetas peccata per Baptismum remissa. Sed ego Baptismum urgeo, ut peccare desinas. *Aug.* Atqui hoc nego

nego posse me! diutiùs assuevi sceleri, quàm tu putes. *Simp.* Annum unum fortè, aut alterum in luto hæres: diurnus est morbus, & gravis, sed non desperatus. *Aug.* Nihil dicis: audi, Pater, quod hætenus fateri horror prohibuit mali, audi, qualem hominem curandum susceperis: (c) *jam annos omnino decem in flagitiis dego.* *Simp.* * Nunc Superi date verba, quæ profunt!... Prò Deum Immortalem, quid audio? *annos omnino decem!* *Aug.* Vides, ut sim sincerus! tu quid jam stupes? *Simp.* Miseret tui. Vale! alio est opus Medico tibi: ego mederi morbo decennali non possum! *Aug.* Quid? confessus tibi omnem miseriam sum, & nunc me desereres? si ferre auxilium non potes, saltem solatium fer, aut iuva consilio! *Simp.* Quid dicam! vincit omne consilium gravitas mali. Actum est: consuetudo tam longa altera natura est: priùs vitam, quàm vitium pones. *Aug.* Timeo sanè: nam quoties propè invitus in scelus trahor! *Simp.* Quid reponam ad istos questus, nisi lacrymas, & suspiria! ô anima nobilis! ergò in te periit Sanguis Christi! *Aug.* Omni tempore, omni loco sum miser, & amare cogor, quod horreo: tanta tyrannis est! *Simp.* O servitus infamis! mancipium miserum! *Aug.* Nulla pars corporis, nulla pars animæ est, quæ non premitur turpi jugò: servio, quantus sum, & quod teterrimum est, servire placet. Serviunt oculi, & anteambulones libidinis agunt: serviunt aures pro exploratoribus, serviunt pedes pro emissariis, pro ostiariis manus, lingua pro tabellario. Ita integram familiam sceleri alo. *Simp.* Superi miserescite! *Aug.* Præteream memoria in gratiam Veneris diu, notique se occupat, intellectus in viis flagitio complanandis laborat, voluntas onusta catenis, & gemens sub pondere antecurrum lascivæ Deæ propellitur, affectus omnes observant nutum. *Gaudeo*, cùm ad turpe votum se offert occasio, *tristor*, si præterit: *Anno*, qui adjuvant, *odi*, qui obstant: quod promovet malum

(c) L. 6. Conf. 6. 15.

N 3

* Tacitè.

malum, desidero, quod medetur, refugio: sæpe spe erigor ad surgendum de cœno, mox desperatione dejicior: sæpe audax, clamo: Dixi, nunc cœpi! mox timor retrahit pedem, & cesso. Demum mihi met irascor, & quoties indignam servitutem vehementissimè exprobo? Servio tamen. *Simp.* Cessa, quæso! nam mihi dolore pectus rumpitur! poterisne in inferno esse inferior? *Aug.* Certè jam & damni, & sensûs poenâ acerbissimè crucior. Foedus ignis totum perurit, tenebræ, quibus circumdor, auferunt & aspectum, & desiderium cœli, vermis nunquam moriens jecur omne crudeliter exedit: væ mihi! si his suppliciis accedet æternitas, & sicut in illo, ita & in hoc inferno nulla redemptio sit! *Sim.* O Cœlites! hæc iste patitur, hæc sentit: & tamen ex hoc loco tormentorum non profilit! *Aug.* O si possem! sed clausa est janua, non possum. Ah! mi Pater! nemo est mortalium miserior me! contrariis affectionibus discerpitur cor: amo scelus, quod odi, odi, quod amo! nihil mille proposita valent: cum vel occasio, vel tentatio redit, recido: imò resilio in abyssum, unde statueram emergere. *Sim.* Et nihil à foedo facinore præsentis, intuentis Numinis Reverentia retinet? *Aug.* Non æstimo. *Sim.* Quid? si mortis incertitudinem, Judicii rigorem, jacturam cœli, æternos ignes tibi ponas ob oculos: non terroris? *Aug.* Cogito, fortè nihil est horum, quæ timenda esse ajunt post vitam hanc. *Sim.* At saltem cogitatio Dei pro te in cruce inter angores ultimos Patrem deprecantis emolliret animum efferatum? *Aug.* Lapidi loqueris. *Sim.* Saltem occasionem fuge! *Aug.* Intus est malum: quocunque abeo, me mecum traho. (d) *Velle meum tenet inimicus: inde mihi catenam fecit, & constrinxit me. Ex voluntate perversa facta est libido, & dum servitur libidini, facta est consuetudo, & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas.* Desperavi! *Sim.* Tandem sonuit optata vox, quam expectabam. Maçte animo, Augustine,

(d) *L. 8. Conf. 6. 5.*

stine, propinquus es libertati, rumpentur vincula, excuties jugum. *Desperasti de te*, hoc quærebam: nunc *in Deo spera*, qui neminem juvat promptius, quàm desperantem de se. Quid in te stas, & non stas? projice te in Deum! noli metuere: non se subtrahet, ut cadas! proiice te securus! excipiet te, & sanabit te! quod non est possibile tibi *per naturam*, hoc facile, hoc iucundum fiet *per gratiam*, & quod *dimittere metus est*, jam *abjicere gaudium erit*. *Aug.* Quò me circumagis Pater! ex tristitiæ barathro levas in lucem novam. Nondum ergò conclamatum est de salute? *Sim.* Dixi, nunc maximè spes bona micat. Errasti, nesciens, (e) *quod non possis esse continens, nisi Deus det*. Difficultatem vitæ castæ comparans ad vires tuas, quid poteras aliter, quàm angi, tremere, desperare? factum bene. Nunc spera in Deo: Deus solus, solus potest (f) *mundum facere de immundo conceptum semine*. *Aug.* Sic in Apostolo legi. (g) *Omnia possum in eo, qui me confortat, non ego, sed gratia Dei mecum*. Hem! quis repentè radius tristes tenebras pellit? *Sim.* à Patre luminum est ista lux: Deus adhuc te amat, Augustine, tandem & tu ama Deum! ecce hæc hora est, qua offert gratiam, extende manum, arripe citò! manus oratio est: ora, quære, pulsa: accipies, invenies, aperietur. *Aug.* At mi Simpliciane, mihi non sufficit quæcunque gratia: opus est singulari, extraordinaria, triumphatrice: tantum ego bonum à Numine offenso sperem! *Sim.* Ah! quid disputas? qui sic dilexit te, ut Filium suum Unigenitum pro te dederit, nunquid negabit, quod minus est? quidquid petieris in Nomine Jesu, dabit tibi! ora quære, pulsa! oratio clavis est cœli? ascendit oratio, & descendit Dei miseratio. Obsequere Augustine, amico roganti: Miseriæ gravitatem agnoscis, periculi magnitudinem vides, te tibi non sufficere intelligis: ora, ut te adjuvet Deus. Relinquo solum; ut suspires liberiùs. *Aug.* Inter spem & metum obedio,
coope-

(e) *Sap. 8.* (f) *Job. 14.* (g) *Phil. 4. 1, Cor. 15.*

coopertus pudore, & confusione amarissima. *Sim.* Sic decet, Cor contritum & humiliatum non despiciet Deus. Doles, quòd obediens & contumax fueris Domino tam bono, tamdiu? *Aug.* Fidem habeo, pudorem sentio, timor urget, spes surgit: dolorem solum adhuc à me non impetro. *Sim.* Donum Dei est bonus dolor, à Deo impetra. De hoc saltem doles, quòd dolere non possis? *Aug.* Vellem dolere utique, quia vellem me corrigere, modò possem! *Sim.* Bene est. Hæc voluntas disponit, ut ores seriò. Ora! ecce si rem grandem petjisssem, nihil obluçtari deberes ad eluçtandum ex tantis malis: quantò magis, cùm dico: ora! *Aug.* Orabo. *Sim.* Solum sino: indulge suspiriis liberè: ego tecum tollam ad cœlum manus! cùm volueris, in vicino cubili reperiēs. Audi preces pium Numen, & sana animam gloriæ creatam tuæ!

S C E N A IV.

Augustinus Solus.

Augustinus. Sana, Domine, sana me! da castitatem, & continentiam! *Sed noli modò! noli modò!...* quid obmurmuras anime? quæ est ista oratio? Deus bone! lingua dicit: *da castitatem!* animus dicit: *noli modò!* times, Augustine, nec itò exaudiaris, & statim saneris à morbo concupiscentiæ, quam expleri velles, non extingui!... Vah! etiam oraretædet! non possum feriò... quid impedit, quæso? *Nugæ nugarum*, vanitates vanitatum sunt, quæ me tenent. Pereant omnia!... *nugæ sunt, tenent tamen!.. rumpamus funem!.. non possum modò... nempe non lubet.* O animum muliebrem!.. quanquàm verè, egone vivere totà vità posthac possim sine consuetis deliciis? non possum!... hem! stultitiam cordis! quàm igitur diu vivam? vita hæc misera est, mors incerta: si subito obrépat, quomodo

hinc

hinc exhibo? ... quid? (f) si mors ipsa omnem sensum finiet? si anima cum corpore interit? ... prò! quò rursus relabor! credam, me nihil à bruto differre? absit! non moritur anima, non moritur! nunquam tanta nobis *fecisset* Deus, nunquam tanta pro nobis *tulisset* Dei Filius, si morte corporis etiam vita animæ consumeretur. Quid cunctor igitur, contemptis vitæ præsentis ineptiis, totum me conferre ad quærendum Deum, ad spem vitæ futuræ, in qua spe omnis præsens beatitudo consistit? ... expecta tamen, Augustine, jucundæ sunt, & habent non parvam dulcedinem etiam nugæ: non facilè, non ita repentiè abeundum est: poenitebit, & turpe est rursus redire. Cùm senuero, relinquam ... quid? cùm senuero? nempe vinum adolescentiæ meæ pergam propinare sceleri, foeces senectutis Deo offeram! ... alternant venti: huc, illuc impellor. Ita tardo converti ad te Deus, & differo de die in diem vivere in te, nec differo quotidie in meipso miserabiliter mori. Infelix ego homo!

MUSIC A.

Ex l. 8. Conf. c. 9.

Natura. Voluptas. Nugæ nugarum.

Natura, & Voluptas.
Natura.

Voluptas.

Augustine! *dimittisne nos?*
Et à momento isto
Non erimus tecum ultra in æternum?
Et à momento isto
Non tibi licebit hoc & illud ultra in æternum?

O

Arietta.

(f) L. 8. Conf. c. 11.

*Augustini**Arietta.*

<i>Natura.</i>	Augustine,
<i>Voluptas.</i>	Augustine,
<i>Ambæ.</i>	Vana vota define!
<i>Natura.</i>	Ego tecum sum creata,
<i>Voluptas.</i>	Ego tecum educata:
<i>Natura.</i>	Non es frustum duri soli,
<i>Voluptas.</i>	Gleba es ex terra molli:
<i>Chorus.</i>	Non, non potes
	Non, non potes
	Sine nobis vivere,

2.

<i>Natura.</i>	Verte vultum,
<i>Voluptas.</i>	Redde cultum:
<i>Ambæ.</i>	Quid contemnas, respice!
<i>Natura.</i>	Non es fortior Samsone,
<i>Voluptas.</i>	Nec plus sapias Salomone,
<i>Natura.</i>	Sine his non vixit David:
<i>Voluptas.</i>	Et quis est, qui non amavit?
<i>Chorus.</i>	Non, non potes,
	Non, non potes
	Sine nobis vivere,

3.

<i>Natura.</i>	Tristis vita,
<i>Voluptas.</i>	Nulla vita
<i>Ambæ.</i>	Sine nobis vivere.
<i>Natura.</i>	Sine sensu relinquæris,
<i>Voluptas.</i>	Cæcus, surdus, mutus eris:
<i>Natura.</i>	Quanto dabis te moerori!
<i>Voluptas.</i>	Quoties optabis mori!
<i>Chorus.</i>	Non, non potes,
	Non, non potes
	Sine nobis vivere,

Non,

4.

Natura. Fingis iram,
Voluptas. Fingis fugam:
Ambæ. Non sunt minæ seriæ,
Natura. *Ite nugæ!* lingua clamat,
Voluptas. Cor nos tamen adhuc amat:
Natura. Sæpe idem jam dixisti,
Voluptas. Nunquam tamen nos odisti:
Chorus Non, non potes,
 Non, non potes
 Sine nobis vivere!

5.

Natura. Quanquam vale!
Voluptas. Vive malè,
Ambæ. Dum sic lubet vivere.
Natura. Sed non diu sic lubebit,
Voluptas. Cras, cras rursus poenitebit:
Natura. Cras tibi met irascèris,
Voluptas. Nempe cum experieris,
Chorus. Quàm non parum
 Sit amarum,
 Sine nobis vivere.

Aug. Simpliciane! Simpliciane! frustra expectas. Hodie nihil fiet.

O. A. M. D. G.

O 2

MEDI-

MEDITATIO IV.
 AUGUSTINI
 DE SE VICTORIA.
 ARGUMENTUM.



Opportunè Potitianus Mediolanum ex aula Cæsaris venit, quando Augustinus secum de vitæ ac morum correctione graviter luctabatur. Ille conversionem mirabilem duorum Aulicorum, quæ novissimè, se præsentè, contigerat Treviris, amicis narravit cum effectu tam felice; ut sibi, suæque procrastinationi, ac ignaviæ vehementissimè irascens Augustinus, abruptò colloquiò, se in hortulum suum proripuerit, quò liberùs indulgeret gemitibus, quos dolor & pudor ciebant. Hæc agenti allapsa est vox sive ad cor, sive ad aures etiam: *Tolle, lege!* legit textum obvium ex Epistola Pauli ad Rom. c. 13. & eòdem momentò lectionem excepit lux mira in intellectu: dissipatisque nebulis difficultatum, quas imaginatio finxerat, lucem secutus est motus fortissimus in voluntate, & motum Heroica Resolutio, Resolutionem *perfecta Conversio*, de qua utiliter legi potest totus *liber octavus Confessionum*, unde desumpta est hujus quartæ Meditationis

Materia: Augustini Heroica Resolutio ad *perfectam Conversionem*.

Puncta

- Puncta duo:* Primum, Resolutionis Difficultas.
 Secundum, Difficultatis Victoria.
- Fructus:* Correctio voluntatis restricta, quæ se resolvit quidem ad conversionem, sed cum exceptione contra media paulò difficiliora.
- Propositum.* Excitare se ad solidè tenerum, & tenerè solidum Amorem Dei, quippe qui multò efficacior est, quàm timor, & spes ad conversionem perfectam, ac constantem efficiendam, animatque hominem in specie, ut posthac tentationibus ad relapsum non modò non consentiat, sed resistat etiam per actus contrarios, ex quibus paulatim fit habitus, vitæque mutatio cessat molesta esse, & incipit jucunda fieri, quod est certissimum remedium ad Perseverantiam, quæ sola coronatur.

PERSONÆ.

S. Simplicianus.

S. Augustinus.

Alipius.

Potitianus ex aula Arcadii.

Navigius, Augustini Frater.

PROLOGUS.

Reflexio in Meditationem præteritam, &
 Præparatio ad præsentem. (a)

Anima meditans. Angelus explicans.

Anima. **I**nfelix ego Homo! Rom. 7.
 Vel semper peccare, vel semper pugnare,

(a) Theatrum exhibet castra mystica.

Alteru-

Alterutrum est necessarium, utrumque miserum.
Angustiae sunt mihi undique: Dan. 13.
Non possum sic incedere! 1. Reg. 17.
Loquar ad Dominum, cum sim pulvis, & cinis:
Ne, quaeso, indigneris Domine, si loquar. Gen. 18.

Aria.

Ah! cede; cede Domine
 De summo tuo jure,
 Da aliquid clementiae,
 Da fragili naturae!
 In certis circumstantiis
 Si liceat peccare,
 Statutum est, in aliis
 Alacrius pugnare.

2.

Vim semper sibi facere,
 Et semper dimicare,
 In armis semper vivere,
 Et nunquam respirare,
 Est nimium severa lex:
 Quis possit observare?
 Da aliquid, ô coeli Rex,
 Nam potes dispensare.

Angelus. Vah! absurda postulatio, quam ego audio.
Anima. Anima! quò te abripit nova desperatio?
 Ita est: arma abjicio, nisi juvas me novò consiliò.
Caro concupiscit adversus Spiritum, & Spiritus adversus
Nam, quamdiu oportebit sic vivere? (carnem!
Angelus. Imò, quam diu sic vixeris, dispice.
 Heri cellasti peccare: hodie jam te pœniter pœnitentiæ!
 Delicata!

De se Victoria.

III

Delicata! nescis, quòd sit arduum omne principium?
Dura! & secuturis te Spiritùs deliciis serva!

Anima. Quid faciam, ut possim durare?

Angelus. Debes amare.

Fides, Spes Timor urgent, ut velis meliùs,
Non faciunt, ut possis vivere suaviùs,
Debet *Amor* accedere.

Ama Deum, ama,

Et evanescent omnia difficultatum phantasmata.

Aria.

Ars est mirabilis sancti Amoris:

Spinas in rosas commutat,

Quidquid in sensu se movet horroris,

Amor delicias putat:

Fugum, & onus, & labor quid sit,

Amor non scit.

2.

Habet hoc adeò amor scelestus;

Quando amatae servitur,

Sæviat gelu, aut torreat æstus,

Vix ab amante sentitur:

Minor quòd sacri amoris sit vis;

Crede, si vis!

Anima.

O Deus, ego amo te! amo te,

Modò aliquid interdum indulgeas,

Et nihil arduum mihi præcipias.

Angelus.

O fatua, & sine corde anima!

Qui verè diligit, nihil excipit:

Respice! artem amandi docebo te hodie!

Vidisti Augustinum luctantem:

Peccator erat, & magnus, & diu,

Dum

Dum carnem amavit :
 Factus est Sanctus, & Magnus, & Citò,
 Cùm objectum amoris mutavit,
 Et pro carne coepit Deum diligere.
 Ecce ! ad omnia resolvit se media,
 Non auditur aliquod si, aut modò,
 Non acceptat aliqua, & rejicit alia :
 Paratum cor meum inquit,, paratum est ad omnia.
 Tu tibi frustra de amore blandiris :
 Qui talis non est, amor non est.
 Parce. Si amorem non habeo,
 Amoris tamen desiderium habeo.
 Ergò ora, ora !
 Et ab Amore amorem impetra,

Anima.

Angelus.

Aria.

Anima.

Erravi,
 O Deus, erravi,
 Cùm, ut alia dares, oravi :
 Alia omnia,
 Mera sunt somnia :
 Amorem mihi da,
 Et dabis omnia.

2.

Amare,
 Ah ! doce amare,
 Sic demum cessabo peccare,
 Cùm nihil delectabit me,
 Quàm te, te solum amare,
 Et amare propter te !
 Sic, sic doce amare me!

MEDI-

MEDITATIONIS IV

De Heroica Resolutione Augustini

PUNCTUM I.

Resolutionis Difficultas.

SCENA I.

Augustinus. Ah! quousque me torques? ferrea consuetudo stringit. Pater, non intelligis, quanta sit vis. *Simp.* Quantacunque sit, major est Gratia. *Aug.* Non habeo gratiam adhuctam fortem. *Simp.* Tandem ora, ut habeas. *Aug.* Orare non lubet: tumultus non finit: non possum! Tu pro me ora: *Simp.* Tu pro me ora! frustra oro, experior, nisi tu ores mecum.... (*) Heu! Spes naufraga in portu mergitur! porrige tabulam Deus, ut felix enatet! orare non lubet, ô vox terrifica! nam, qui non orat, quid speret? quanquam quid etiam oratio juvet, si talis sit, qualis Augustini fuit: *Domine da castitatem, sed noli modò, noli modò!* Proh! istæ preces non misericordiam impetrant, sed iram provocant. Jam inops consilii & stupidus hæreo: nam, quid superest ut agam? ad Ambrosium me refero: suadebit aliquid Divinus Vir, quod Simpliciano non occurrit. *Aug.* (*) Pater, quò abis? deseris me? *Simp.* Tu teipsum deseris, miser! orare non lubet! Vox est nolentis sanari: nolentem non sanat Deus, quid ego faciam? *Aug.* Volo, & nolo: orabo tamen, ut Deus adhuc proroget patientiam suam, & suspendat furorem, neque puniat modò! *Simp.* Obstupescite coeli ingratitude monstrum! decennium totum scelera sceleribus cumulavit homo audax, & impudens: neque tam longa Dei optimi patientia sufficit, ut emolliat durum cor ad redamandum Amantem! *Aug.*

P

Mane

(*) Augustinus abit.

(*) Redit.

Mane, obsecro, adhuc paululum, & miserere mei, sicut huc usque misertus est Deus. Amo Deum amantem me, amo, & desidero amare amplius! *Simp.* Mendacium loqueris. Non amat Deum, qui non obedit præceptis Dei. Stultæ blanditiæ sunt, quibus se decipit anima, quando verba suavia ingeminat: *Bonus est Deus! amo!* dum clamant nefanda facinora: *displiceant Deo, non curo!* *Aug.* Affectus bonus est, & trahet aliquando effectum post se. Nunc ecce mi Pater, annos vitæ triginta numero: habitus corporis, & bonæ vires triginta & plures alios promittunt mihi: ego, ut pro tanto tempore jam nunc me abdicem, rediturus nunquam ad consuetas delicias, violentum nimis imperium est: non possum facere! *Simp.* O tortuosas vias! quis enim est tibi sponsor vitæ tam longæ? fortè cras finis est: & si hodie castè vixeris, ecce de annis triginta diem dimidium vixisti Deo: nunquid rem grandem præstas? sed demus, venisse Angelum à Deo tibi, vitæ in extremum senium producendæ sponso-rem certum, dic, age, decretumne est, *aliquando* istos mores damnare, an nunquam? si statutum est, hanc telam ad finem prosequi, desperata est salus, & accensus jam crepat ignis, qui te æternùm uret. Si verò certum est, *aliquando* reverti ad Dominum, seriò tandem, quæso te, seriò & apertè responde responsum prudens ad toties inculcatam quæstionem: *si aliquando, cur non modò, cur non hac hora finis turpitudinis tuæ?* *Aug.* Faciliùs fortè *aliquando* me vincam, cùm per ætatem frangetur vis inimici tentantis. *Simp.* Deceptio est: ætas interdum facultatem eripit sceleri, voluntatem rarò: imò consuetudo eò usque protracta faciet, ut voluntas, quod patrare tunc non poterit malum, gaudeat potuisse, & optet adhuc posse: *ita tu deseris à scelere, non scelus à te.* Sed ne diu vagemur, demus etiam hoc, fore certò (quanquam multò certius utique non fiet aliquando, cùm tot subsidia deerunt, id quod negas posse fieri hodie, quando Ambrosius urget, Mater orat, amici instant,
Deus

Deus ipse motibus tam turbulentis cor obstinatum agitat) demus, inquam, fore certò, ut *aliquando* convertas te seriò, liberè utique, & tua voluntate, cooperante cum gratia, non coactè convertes te? *Aug.* Liberè omnino, nullum est dubium. *Simp.* Convertes te igitur, quia voles tunc, quod hodie non vis? *Aug.* Sic seriò statui: nam volo salvari. *Simp.* Jam attende me diligenter. Quæro: quid *tunc* movebit te, *ut velis* convertere te ad Deum, quod non jam *nunc* movere debet? *Augustine*, aliquando aut Timor Dei, aut Amor faciet, ut mutes vitam: neque enim datur conversio utilis ad salutem, nisi quam aut Timor, aut Amor parit. Dic, ex quo parente nascetur tua, si nascetur tamen, & non degeneret in abortum conversio, quæ parturitur tam diu? *Aug.* Uterque, ut opinor, movebit fortiùs. *Simp.* Si Timor movebit, nunquid jam *modò* æquè terribilis Deus est, ac erit *aliquando*? si Amor, nunquid Deus *modò* est minùs amabilis, ac erit *aliquando*? Imò & *magis terribilis modò*, & *magis amabilis est*, quàm erit unquam. *Modò* instat, obsecrat, increpat in omni patientia, & doctrinas *timendum*, ne, si *modò* non audias, nec ipse te audiat *aliquando*. *Modò* quantis desideriis te desideret beatum facere, palam est. Vides, audis, sentis, quantum te amet: ipsa tam longanimis patientia convincit, quòd amari cupiat à te, veluti suâ interesset, non tuâ, ut ames! Qui sic amat, quando erit *amabilis* magis? vix tibi, si expectes, donec refrigescat contemptus Amor, & in furorem se mutet! *Modò*, *modò* tempus est, ut manum applies operi: *modò* admovet machinas Deus, & cordis deditioem violentus exposcit sibi, quid differs dedere? malè credis fore deditioem te? recordare, quæ de beata vita disputavimus nuper: *in spe* consistit, *in spe*, cujus tu tibi dulcedinem invides, quamdiu converti differs. Ad experientiam provoco: aude vel unam hebdomadam continere te, spondeo, gustare incipies, quàm sit nihil vitæ castâ jucundius: qualem si deinde

Prosequaris diutius, quantæ miseræ unâ cum foedis voluptatibus desinent, infamia, curæ, fastidia, vermis, extremum animæ periculum! succedet gaudium Spiritûs, quod exuperat omnem sensum, pax conscientiæ, elevatio mentis, cordis mundities, sublimia desideria, admirabile lumen, & dulcissima familiaritas cum dulcissimo Deo!.. quid files? *Aug.* Quid dicam? linguam loqueris peregrinam mihi: nihil intelligo. *Simp.* Vel per unius hebdomadæ experientiam non parum disces. *Non jubeo te naturam exuere*, quam ad amores proniorem es nactus: *Ama, ama!* sed *objectum amoris muta: Ama Deum, & fac, quod vis!* nam facere, quod libet, licet, modò facias nihil, quod non audeas immolare Deo, & dicere: *facio ex Dei amore.* *Aug.* In creaturis quod amo, video, Deum non video: invisibile objectum Amoris non afficit, non delectat. *Simp.* Afficiet, delectabit, si adhibeas oculos, & contempleris, quid Deus sit. Oculis corporis non videtur; oculi mentis sunt intellectus, & fides: his inspicere Dei naturam, & videbis, quàm sit amabilis Deus (a) *super amorem mulierum!* *Aug.* Sublimior est hæc Philosophia, quàm ut tam subito capiam. Hoc video, *sine amore vivere non possum!* *Simp.* Interest, Augustine, ut inter objecta seligas *amore dignissimum.* Et quis est dignior Deo?.. deliberas?.. vah! ignavum suspirium! .. etiam abis?.. ô Deus, videre mihi conflictus videor, quibus in isto pectore certant hodie *amores duo:* ô vincat, vincat tuus, & de amore foedo nobilem triumphum agat!

S C E N A II.

Simplicianus. Alipius. Potitianus. Nebridius.

A*lipius.* Ecce Simplicianus. Hospitem, Pater, adducimus, etiam tibi, quod scio, charum: éstne Augustino per te loquendi facultas? *Pot.* Salve Pater, audio, quæ tua sollicitu-

(a) 2. Reg. 1.

citudo sit pro amico, & delector. Ut habet Augustinus? *Simp.*
 O salve Domine! ut primum lapidem per te posuit Deus, cui
 novam vitam inædificet Augustinus, sic, nisi me fallit animus,
 hodie tectum per te imponet. Non est casus, qui hac die Po-
 titianum ad nos affert: Dei consiliô fit: conferes nobiscum
 operam, & quibûs potes, modis instabis, ut se hodie Deo subji-
 ciat homo: nam, hoc mihi credite, aut hodie se Augustinus
 convertet, aut nunquam. *Nav.* O nuntium bonum! nam
 mihi idipsum dicebat Mater, amarissimas huc usque lacrymas,
 quas fudit pro filio, hodie sibi dulces videri, mihi professa.
Pot. Nisi arctos nimis terminos ponitis: nam cur tantum opus
 huic diei alligas? *Simp.* Quia hodie Gratia totis viribus urget,
 & solitô fortiùs oppugnat animum contumacem. Convictus
 est intellectus, consumpta, quibus se tuebatur, omnia argumen-
 ta, fatetur, se posse cum gratia, quod viribus naturæ non pos-
 set, fatetur, gratiam oranti non negari à Deo, sentit se ad oran-
 dum impelli, nulla superest, quam opponat, excusatio, muta
 trepidatio remansit, & infelix horror victoriæ tam facilis, tam
 præclaræ. Roditur intus, & confunditur pudore horribili ve-
 hementer, imago tetra vitæ malè actæ cruciat oculos, in auri-
 bus sonat vox Domini confringens petras, Imaginationem im-
 plexerunt tenebræ exteriores, fletus, & stridor dentium, quem
 timet, affectus omnes in rixa sunt: metuit mortem, horret
 Judicem, suspirat cælum, amat Deum, seipsum odit: verbô,
 ita æstuat agitated à gratia, ut cervus, qui cinctus à canibus,
 quâ evadat, non videt. Concludite, quid futurum sit cras, si
 evaserit hodie. Cras & lumen languidius lucebit intellectui, &
 frigidius calebit voluntas, & mens pacatior lentiùs urgebit pro-
 positum: nihil fiet cras. *Pot.* Quid igitur vis, ut agamus?
Simp. Amor ingenium habet: facile quod profit, invenit. Ego
 accedo Ambrosium, ut de actis edoceam, & novum consilium
 quæram. *Nav.* Si impetres, ut Præsul fratrem admittat ad col-
 loquium,

loquium, fecisti, quod Mater unicè optat. *Pot.* Tunc difficile accessu Præsulem putas? *Simp.* Omnibus omni tempore aditus patet. Imprudens verecundia fuit, quòd Augustinus, sicut Ambrosii concionibus diligenter adfuit, ita colloquium fugerit. *Al.* Tanta reverentia est sanctitatis. *Nav.* Certè qui Monicæ colloqui gravatus non est, non excluderet Augustinum. Amici, urgeamus, ut Simplicianum sequatur. Spes est, nunc maximè, salutis congressum fore: nam verba Sanctorum medullas penetrant. *Simp.* In Navigii sententiam eo. Si hoc persuaseritis, de Episcopo bene, optimè de Augustino meruisse vos dicam. Urgete citò, cum favet hora. Non est cessandum: est quoddam genus ægrorum, quibus quiescere, fatale est; & frigore rigidis non noceas pejus, quam si sinas dormire. Interea fero Præsuli bonam spem.

S C E N A III.

Potitianus. Alipius. Navigius.

P*otitianus.* Intellexi amici periculum, hoc fatis est. Vobiscum ago, quod agitis. *Al.* Sines, ut de tuo adventu admoneam? *Pot.* Bonum facis. Tu dic, Navigi, quem, dum à vobis absum, progressum amicus fecerit: nam juvat distinctiùs discere, quid possim sperare. *Nav.* Simplicianus, ut Matrem perpetuis fletibus diffluentem solaretur, narravit heri, quousque juvante Deo perduxerit tanti momenti negotium. Postquam, agebat, Manichæus esse desuit filius tuus, & veritatis studio Romam petiit, cum initiò non statim reperiret virum, qui satisfacere dubiis de fide posset, tardiò laboris correptus est, cœpitque primùm deficere ardor, deinde extingui, denique in vetera objecta, in studium vanitatis, & nugas amorum toto impetu verti. Redibat interdum motus aliquis desiderii boni, nec rarò offerebat se occasio discendi, quod vellet, sed sicut ex de-
spera-

speratione languebat desiderium, sic usus occasionis differebatur, donec ipsa dilapsa est. Atque hæc procrastinatio, Potitiane, fecit, ut miserabilis homo ex Manichæo Academicus, ac deinde propè Epicureus sit factus. *Pot.* Rem horridam audio, mihi tamen non novam: vidi plures, quos incuria salutis, & neglectæ bonæ occasionis culpa in simile barathrum præcipites egit. *Nav.* Sed alios terribilis Deus in illo profundo deserit: Augustinum protrahere per singularem bonitatem incepit, jamque, sicut descenderat, ita ascendit per gradus. Mediolanum Româ translatus, ipso urbis Præfecto, ut Numinis Providentiam admireris, promovente, cœpit primùm sermones Ambrosii *singulis Dominicis* diligenter audire: fama viri, & facundia dulcedo trahebat. Inde didicit, prudenter à Catholicis credi, quod credunt, argumenta, quæ contra ipsos pugnarent, posse solidè confutari, tandem hac una via ad veritatem atque adeò ad salutem iri. Hæc cognitio fregit superbiam: Simpliciano subjecit se, ut doceretur. *Pot.* Gaudium mihi narras: nam initium bonæ vitæ à bona fide expecto. *Nav.* Urgebat hoc fides, & secum trahebat timorem, æterna mala minitantem, nisi ad agnitæ veritatis normam mores componeret: secuta est pugna, & ingens turbatio, quam Simplicianus frustra hætenus componere laboravit. Ex die in diem major tumultus movet se, quia, quidquid Presbyter de Spe loquatur ponenda in virtute gratiæ, nihil agere se tamen Augustinus arbitratur, quoties conatur propositum vitæ castæ à se extorquere. Ecce amice, huc usque ventum est, & hæc una suspensio propositi baptismum suspendit. *Pot.* Navigi, mihi fratris sapientia placet. Possent bonis verbis decipere Præsulem, & castitatis cultum spondendo, Sacramenti administrationem impetrare: sed intelligit, sibi hanc hypocrisin, non Ambrosio, perniciosam fore apud eum, qui, cum cor inspiciat, non decipitur proposito bono, quod in ore est natum, & in corde radices non habet. Sed

cur

cur, Navigi, Ambrosius non ad se evocat vel refugientem? Saltem tollerentur prætextus, quos objicit, cur non accedat. *Nav.* Idem, ut faceret, heri Mater rogavit Episcopum: responsum tulit: sine, dum ipse volet. *Pot.* Igitur faciamus, ut velit. Quid affert Alipius? *Al.* Magnum bonum. Cùm intravi, orantem reperi: turbare nolui, donec me ipse advertit. Suspirabat autem cum lacrymis sæpius: *O pulchritudo tam antiqua, pulchritudo tam nova, quàm serò te amavi!* Credo, Simplicianum ut est vir prudens, cùm videret, *Spem* non sufficere, ut se dederet Augustinus, *de amando Deo* intulisse sermonem: nam, cùm vidit me, surgens, dicebat cum fremitu: ah! Alipi, quis mihi det, ut nihil unquam amaverim præter unicè amabilem Deum! nunc heu! cor abjectum *in bona nulla* quàm difficulter attollit se *ad bonum unum!* me attonuit vox tam nova! amens gaudiò irruì in amplexum, & collacrymans dixi: sic places, Augustine! ô fiat! quem nondum amavimus, nunc amemus! nunc tandem! deinde de te narravi, cujus ut nomen audiit, exporrecta in lætitiâ fronte, colloquar, ait, & abiit, ut oculos fletu tumentes abluat: ingredi, subjice ligna igni, qui ardet. (b) *Nam tu, quàm generosè Cæsari, tam fideliter, & fervidè Deo militas, scio.* En redit.

S C E N A IV.

Augustinus. Potitianus. Alipius. Navigius.

Augustinus. O Potitiane, quàm est mihi jucundus aspectus tuus! *Pot.* Idem est de te gaudium mihi, tantòque majus, quòd Mediolani reperiam auditorem Ambrosii, discipulum Simpliciani, denique Carechumenum. *Aug.* Sic amavit me Deus. Matris lacrymis hanc gratiam debeo. *Nav.* Optandum, ut non sit vacua. *Aug.* Non erit, si Deus porro faveat!

Al.

(b) *L. 8. Conf. c. 6.*

Al. Utinam hodie cooperemur! nam cur non? *Aug.* Sinemodò. Te, amice, quis tenuit locus egressum Africa? *Pot.* Scis, me Cæsari militare: varias provincias pervagatus sum: militi ubique est patria, aut rectiùs, ubique exilium. *Nav.* Sicut omni homini extra cælum degenti. *Aug.* Dona mihi, amice, partem horulæ, ut amœna narratione tuorum casuum leves animum depressum curis. *Pot.* Scholasticis nempe curis? ridiculus es, (da veniam verbo,) quòd te molesta professione non abdicēs. Quanquam ecce! quid video? Paulum modò, non Tullium legis? *Aug.* Veræ Sapientiæ, & vitæ beatæ, cuius cupido tenet, hic melior Magister est. *Pot.* Dignum est studium ingeniò tuò. *Aug.* Sed habet quædam difficilia intellectu Apostolus, & interdum videtur severior, quàm ut possit placere. *Al.* Modò verum doceat. Veritas etiam horrida Sapienti placet, quia veritas est. *Nav.* Quæ obscura sunt, posset Ambrosius declarare. *Aug.* Huc usque Simplicianus suffecit. *Al.* Qui tamen & ipse ad alloquium Præsulis toties invitavit. *Aug.* Aliis curis est obrutus: non vacat nobis. *Pot.* Novi virum, cura animarum est ipsi prima: vacat cuilibet. *Nav.* Aliud est, quod te à Sancti colloquio absterret: juvat audere semel: facilis accessus est, & si non vacat, certè signabit horam, qua vacet. *Pot.* Puto, & juvat te conversatio *cum homine beato* multò plus, quàm omnis tua *de beatitudine* lectio: nam quod tu hìc legis, ille experitur. Mihi profectò cum hujusmodi viris egisse singulariter profuit. *Aug.* Ambrosium tu ergò beatum existimas? *Pot.* Judico. *Al.* Et ais, plures novisse te beatos viros? difficilis probatio erit de vita hac. *Pot.* Nihil de Magno Antonio Eremita audistis? recens memoria est, (c) & *propè nostris temporibus testatissima mirabilium ejus?* *Aug.* Quid de illo? *Nav.* Narra aliquid. *Al.* Nihil scimus. *Pot.* Mirabilis ignorantia, nomen toto pæne orbe decantatum vos non audisse. *Al.* Nempe in-

Q

tent

(c) L. 8, Conf. 6, 6.

tenti nostris studiis nihil de aliis quærebamus. Sed quid dices tu de Antonio? *Pot.* Ajo, illum ab ipso Deo doctum esse, quid beatitudo sit. Adolescens ingressus Ecclesiam audivit ex Evangelio legi: (d) *Si vis perfectus esse, vade, vende, quæ habes, da pauperibus, & habebis thesaurum in cælis, & veni, sequere me!* credidit sibi dici, & perfectionis, sive sicut ipse interpretabatur, beatitudinis desiderio incensus, continuo relictis omnibus solitudini dedit se, humanis affectionibus major, & soli virtuti deditus, cui usque ad annum quintum supra centesimum invictâ constantiâ, inter dæmonum infestationes non minus, quàm inter blandimenta honorum invictus adhæsit. Exemplum traxit ad imitationem innumeros homines, ex omni aetate, conditione, ac sexu: impletæ sunt solitudines incolis, & ædificata in plurimis locis Monasteria, in quibus homines, uti in prima Ecclesia vivunt, *habentes cor unum, & animam unam, & omnia communia.* *Aug.* De canoniis loqueris, quale hîc Mediolani extra moenia sub institutione Ambrosii viget? *Pot.* Omnino ejusmodi. *Al.* Horum tu incolas beatos prædicas? *Pot.* Credo fanè, hanc esse Philosophiam, in qua hujus vitæ beatitudo consistit, si tamen isti ex suis legibus vitam instituant. Si quis enim ex illis aliam viam eat, fateor, facile contingere, ut eum suæ beatitudinis citò pœniteat. *Aug.* Concordem cum Simpliciano sententiam tenes. Ille beatitudinem præsentem constituit *in spe futuræ*, qualem spem vix ab alio certius obtineri, & facilius conservari, ac ali, quàm ab homine, qui se à carnis illecebris, & peccandi periculis abstraxit, facile video. *Al.* Nos de illis aliter judicamus. *Pot.* Non ex vero. Nam nemo, Alipi, alieno iudicio aut miser, aut felix est, sed suò. *Nav.* Etiam puto, Quid enim ad meam miseriam vel felicitatem facit aliorum iudicium? *Pot.* Iam illi, quibuscum ego locutus sum, dicunt de se, & iudicant, *se nullum malum pati, & nullò bonò carere: quid deest,*

(d) *Math. 19.*

deest, quò minùs beatos dicamus? *Al.* Quid? potentiâ Majestatis, splendore nominis, honorum gloriâ, voluptatibus sensuum omnibus non fere carent? *Pot.* Mediocritate utuntur, excessu carent. Sed *ipsorum* *judicio* ista nulla sunt bona: unde non modò excessum non appetunt, sed defectum etiam patiuntur libenter, imò sponte ac hilariter abjiciunt prætextas, abjiciunt opes, rebus & spebus se exuunt, fugiunt nuptias, ut ita se uno ictu à mille curis, periculis, & miseriis expediant, quibus objiciunt se, qui gloriam, aut divitias, aut fæminas amant. Sic expeditos nullum etiam malum premit: nam paupertatem eligunt ipsi, contemptum quærunt, afflictiones corporis tantum abest, ut horreant, ut se ipsi affligant. Breviter: nihil illi bonum putant, nisi Deo placere, nihil malum, nisi Deo displicere: quòd autem Deo placeant, securam spem habent, quam nullus ipsis casus eripere, nisi volentibus potest. *Aug.* Non omnes capiunt verbum hoc. *Al.* Ex quo genere hominum sunt isti Philosophi? *Pot.* Dixi, ex omni genere hominum. Etiam rudissimi capiunt hanc sententiam, quia ad experimentalem Philosophiam pertinet, non ad theoriam. Testis de visu adsum, nec recordari sine tenero sensu possum, quod nuperriemè cum duobus ex aula nostra viris splendore generis, ætatis flore, opum magnitudine, ut putabamus, felicissimis contigit. Meretur narratio, ut attentè audiatis, nam est jucunda. *Aug.* Cupio, Potitiane, ut sedulò narres. *Pot.* Vim amoris stupebitis, si seriò exardet in Deum. Treviris, unde huc adsum, nuper, cum Circensibus ludis Imperator adesset, nostrum aliqui ex aula progressi in silvam, venimus ad casam, in qua, quales descripsi, servi Dei habitant. Ibi divisi alii per hortulos ambulamus, duo Juniores irrumpunt in cellulam, videt alter librum (is vitam Antonii, de quo dicebam, continet) arripit temerè, legit. Ex bono tam tenui nata est ingens felicitas. Nam dum legit, miratur primùm heroicum sæculi contemptum in

juvene opulento, & nobili. Mox accenditur imitandi cupidine, meditatur, quid agat, pudore sobrio & amore sancto repletur, demum iratus sibi, & totus ardens, fixis in socium oculis, abrupta repente lectione, cum impetu spiritus, dic, quaeso, amice, inquit, per omnes labores nostros quod ambimus pervenire? quid quaerimus? cuius rei causa militamus? majusne aliquid sperare possumus, quam ut amici Imperatoris simus? & ibi, quid non fragile, plenumque periculis! & per quot pericula venit ad majus periculum, cui etiam anima subjacet? & quamdiu istud erit? *Nav.* Sapiens discursus fuit. *Pot.* Conclufit: Amicus autem Dei, si voluero, ecce nuncio. *Al.* Certum est. *Aug.* Quid interrumpitis? absolve Historiam. *Pot.* Hæc locutus, & turbidus parturitione novæ vitæ, reddit oculos paginis: dum pergit legere, fluctuat, pallet, incenditur, fremit colluctans secum: denique suborto lumine clariore, quo veram felicitatem discernebat à falsa, jam totus Dei, amice, exclamat, ego abrui me à vana spe nostra, & Deo Soli servire statui, & hoc ex hora hac, in hoc loco aggredior: te si piget imitari, noli adversari. *Aug.* Prodigium audio. *Pot.* Expecta totum. Dicebat hæc ille, & socium eodem igne inflammavit. Negavit se discessurum à socio tantæ mercedis, tantæque militiæ. *Nav.* Vim gratiæ, Frater, stupeo. *Pot.* Audite amplius. Interea eodem ego cum socio deferor: monemus, ut redirent, quoniam declinasset dies: recusant ambo, narrant, quid contigerit: ne molesti essemus, orant. Nos non sine lacrymis gratulati fortem bonam, nihil tamen morati, redimus in palatium, trahentes cor in terra, quod illi cælo affixerant. *Aug.* Illi aulici, nobiles, divites, juvenes! quod abripior! *Pot.* Adhuc audies majus prodigium, cuius ego testis sum, ut dixi, de visu: habebant ambo sponsas, quæ, postquam hoc audiverunt, dicaverunt etiam ipsæ Virginitatem Deo. *Aug.* Alipi, quid est hoc? *Nav.* O Amor, ô divine Amor, quid potes? *Al.* Video
te

te vehementer commotum esse: quid pateris? *Aug.* Quid audisti? (e) *Surgunt indocti, & rapiunt cælum, & nos cum doctrinis nostris sine corde, ecce volutamus in carne & sanguine!* Prô! turpe dedecus! pudet videri me! *Pot.* Insolita loquitur. *Al.* Et plus, quam lingua, loquitur frons, vultus, oculi, color, modus vocis. *Nav.* Hodie sanè magna in fratre molitur Deus, & verum *Simplicianus* dicebat: nisi se hodie convertat *Augustinus*, convertet nunquam. *Pot.* Laus Deo, qui urgere non cessat pugnantem sibi! *Nav.* Urgebo Matrem; ut nunc orando pugnantem juvet: nam hæc nisi fallor, hora est peremptoria. *Pot.* Ego *Simplicianum* revocabo, ut juvet. *Al.* Ambo bene. Ego premo vestigia, ut observem à longè. Experiar, quid ab *Augustino* divinus Amor extorqueat, ut sciam, quid velit à me.

CHORUS.

Vitia nuper superata pugnam instaurant,
sed ab Amore debellantur, & locus
pugnæ in hortum voluptatis mutatur.

(a)

Personæ Priores.

Consuetudo. **V**Ah! jacetis Socij!
Et amici Sensus gemunt in vinculis!
O pugna infelicissima!
Spes periit me vindicandi,
Et evertendi ista moenia.

Q 3

Cupido.

(e) *L. 2. Conf. 6. 1.* (a) Exhibetur arx, & in ejus fossa strages Vitiorum.

Cupido. Herum audio. Cessa gemitus :
Mortificati sumus, mortui non sumus :
Iterum tentanda est alea.

Consuetudo. Vivitis ? Io ! surgite ad nova consilia.

Chorus.

Surgimus, surgimus,

Arma resumimus,

Tu nostra vita, tu spiritus es,

Tu anima pugnae, tu spes.

Consuetudo. St ! silentium ! rem non bonam nuntio.

Gratia, quæ in persona Tabellarii hæctenus latuit,

Amor est : hodie se prodidit.

Amat, & amari desiderat :

Ideo *hortum* parat Anthrope,

Ut accidat illi *jucundior* novæ vitæ conditio.

Cupido. Inferi ! hæc me perimit æmulatio.

Delicias Spiritûs homo si sentiet,

Omnis ei Caro desipiet.

Aria.

Fateamur liberè :

Pura sunt, plena sunt, vera & solida,

Quibus afficitur *Spiritus*, gaudia :

Corporis deliciae

Nihil habent simile.

2.

Spiritus cùm jubilat,

Musica Charitum strepit, ut anserum,

Desipit Massicum, displicet balsamum,

Rosa deformis est, ipsaque Helenæ

Forma despicitur, veluti furia :

Intus se mens recreat,

Extra se non ambulat.

Consue-

- Consuetudo.* Verum est, quod asseris :
Propterea in tempore opponamus nos
Amoris consiliis.
- Omnes.* Citò, citò ad arma, ad arma!
- Consuetudo.* Sileant tympana. Postquam nihil actum est vi,
Adhibendi sunt cuniculi :
Sequimini me taciti.
- Anthropus.* Audivi strepitum : quæ turbæ se movent iterum ?
- Amor.* Explora Fides, Timor excuba, arma te Spes !
- Anthropus.* Superi ! mortua ad vitam redierunt Vitia !
O Amor ! ô Gratia ! donec pax sit, de horto ne cogita.
- Amor.* Pax est hominibus bonæ voluntatis. Luc. 2.
- Anthropus.* Ah ! vix adfuit :
Rursum me voluntas bona deseruit !
Non, quod volo bonum, hoc facio, Rom. 7.
Sed quod nolo malum, hoc ago.
- Amor.* Causam video.
Nondum imperas tibi satis serid.
Nam, puid sibi vult istud, NOLO, *quod lego?
Defensivè nimirum habuisti te hætenus :
Laudo, & sufficit, ut hostes possis superare :
Sed, nisi egeris offensivè, nunquam pax erit,
Nunquam poteris debellare.
- Anthropus.* Offensivè jubes me agere ?
Nescio, quid velis dicere.
- Amor.* Explico me.
Dico : cùm ad peccatum alliceris,
Non solùm, non esse consentiendum,
Sed contrarium, contrarium agendum.
Sic pugnat, qui amat.

Aria.

¶ Vox Scripta in porta arcis clausa.

Aria.

Tarda molimina,
 Longa certamina
 Amor, si amor est, odit;
 Statim in aciem prodit,
 Et decretoriò
 Decertat præliò.

2.

Igni est similis,
 Qui se in latebris
 Diu non potest tenere;
 Hostem vix datur videre,
 Jam victor profilit,
 Invadit, perimit.

Anthropus. Contrarium agendum est! hæc est doctrina heroica!

Amor. Hoc est, facere cum tentatione proventum. 1. Cor. 10.

Anthropus. O nobile Amoris inventum!

Fides. Amor, Amor, suppetias propera!

Captivi Sensus ruperunt vincula,
 Et rediviva cuniculos fodiunt Vitia,

Timor.

Spes. Jamque labant propugnacula:

Omnes tres. Non sufficimus victoriæ,

Amor, Amor adjuva!

Anthropus. Adjuva! ah! adjuva!

Amor. Noli metuere: Amor vincit omnia.

Vos, quid post muros latetis?

Eja! hosti occurrimus, mecum procedite!

Anthropus. Et quid, Amor, quid me vis facere?

Amor. Contrarium, contrarium! Act. 9.

Ad amores vetitos volunt te vitia tua retrahere,

Ergò odium (sic postulat Amor) odium exhibe.

Anthropus. Odi! Amo! & ex amore in odio,

Ex odio in amore exerceo me.

Aria.

Aria.

Amo te, Amo, amabilis Deus!

Neque tantum Amo te,

Quia *timor* urget me:

Aut quia me allicit *spes*:

Amo te, quia es Deus,

Quia amari te *amor vult meus*,

Amo te, quia amabilis es.

2.

Pereat hora; qua te non amavi!

Pereant deliciae,

Opes, & illecebrae!

Spes pereant omnes: & res,

Propter quas *tibi peccavi*,

Psalm. 50.

Et te, ô Amor, amare cessavi,

Ah! te, qui *solus amabilis es*!

Fides.

Victoria! plaude Anthrope! Victoria!

Ad internecionem deleta sunt Vitia,

Et subjugati Sensus faciunt imperium:

Respice! exulta! admirare *amoris prodigium*.

Anthropus.

Superi! ubi sum? ubi sum? (b)

Timor.

Persei fabula facta est Historia.

In delicias Anthrope, in delicias pectus explica!

Vitia tua in ipso æstu caloris,

Ut obversum sibi viderunt *scutum Amoris*,

Friguerunt, ut marmora.

Spes.

Locus pugnae in Paradisum se vertit,

Quem, vide'n, ut ornant *bellæ*

Quas ex *belluis* formavimus, Statuæ?

S. Sensus.

Nos etiam liberi à servitute peccati,

R

Et

(b) Aperitur hortus.

Et veniã rebellionis donati,
Post præstitum Amori homagium.
Vivimus beati! beati!

Anthropus. Cor dulcissimo mihi subsilit gaudio.

O Amor! ô Amor, quæ est hæc rerum mutatio!

Amor. Mutatio *Dextræ Excelsi!* Fruere! liberè Psal. 76.

Fides Spes Fruere, fruere!

Timor.

Anthropus. Fruamur filii! *bonum est, nos hæc esse!* Matt. 17.

5. Sensus. Bonum optimum! bonum optimum!

Amor. Quantum sit, *Experientiã discite! Tabernacula facite!*

Gustate, & videte,

Quàm suavis sit Dominus,

Suavis utique, & amabilis super amorem mulierum

(2. Reg. 1.)

Sed cum fame *gustantibus,*

Cum *attentione videntibus,*

Cum *patientia experientibus.*

Aria.

Ut cæci de colore,

Sic illi de amore

Non possunt iudicare,

Qui nunquam didicerunt,

Vel certè non *senferunt,*

Quid Deum sit *amare.*

2.

Si nôsse vis, si capere,

Eja! *experire,*

Et *dies tandem aliquot,*

Non

Non ex spe, vel timore,
Sed vero ex amore
Servire Deo statue:
Tunc judica, tunc loquere,
Tunc senties, quid hac de re
Oporteat sentire,
Eja! experire!

PUNCTUM II.

Difficultatis Victoria.

SCENA I.

Simplicianus. Alipius. Navigius. Potitianus.

N*avigius.* Enimverò bonum est omen. Alipi, ut occurris feliciter, audi, quæso: cum ad Monicam veni, reperi lacrymantem. Docui, quid fieret, & ipsa, bonum, exclamavit, bonum nuntias: *hæc est dies, quam fecit Dominus!* hodie filius lacrymarum nascetur in lucem novam! hodie Mater ero! dolores jam nullos, sed suavissima gaudia sentio, propinqui partus prodroma gaudia, nam istæ, quas vides, lacrymæ non, ut hætenus, amaræ sunt, sed dulces, & jucundæ, iterum, ac iterum repetebat. Tu quid dicis? falliturne bona Mater, an Spiritus Propheticus agit? quò se abripuit Frater? *Al.* In hortum descendit. Mirabilis lucta est, & spectaculum, de cujus catastrophe, credo, Superos, inferosque impatienti expectatione suspendi. O bona fors, quòd adsis, Pater, & tu amice, quòd in tempore redeas! quid Episcopus promisit? *Simp.* Expansis brachiis in amplexum Augustini irruet, si potest adduci. *Pot.* Aut non curret ipse obviam, etiam lubens tandem! *Al.* Amici, nihil adhuc certum spondere possum. Hoc scitote,
R 2 duellò

duellò terribili congressi sunt Amores duo, Amor carnis, & Amor Dei: pugnae locus est hortus noster, area cor Augustini: arma armis, ictus ictibus concrepant, decretorium certamen est. *Simp.* Vincet Amor, quem vincere Augustinus volet. *Nav.* Ah! utique ut caelestis scelestum vincat, nunc tandem volet! *Simp.* Volet, si diffidens sibi, fidat strenuè viribus gratiae: sic gratia, ut velit, faciet. *Pot.* Quin tu properas, Pater, pugnantem te adungere, ut perficias, quod coepit Deus? *Simp.* Imò finamus Deum, quod agit agere. Rem magnam agit, & videtur velle solus peragere. Spectator praelii si esse possum, ducite, ubi non videat nos Christi miles, & unde, si opus sit, periclitanti succurrere citò possum. *Al.* Hoc est, quod opto. Nam ego explicando non sum, quantis animus solatiis innatet ex bona spe. Redundet in vos pars gaudii, quod istud spectaculum fundit. *Nav.* Me dubius eventus angit. *Al.* Deus, Navigi, adhibuit machinam: non potest infelix esse. Pater, impetu Spiritus Augustinum abreptum vidi. Ut solum se vidit, coepit primùm amarissimè flere: deinde statione abrupta, incitatis gressibus aliquoties inter gravia suspiria hortum perambulavit: mox prostravit se sub arbore, & Pauli Epistolas volvit: rursus se erigens in genua procidit, altissimèque ingemiscens, habenis permissis fletui clamavit cum miserabili ejulatu: *Et tu Domine usquequò! usquequò Domine, irasceris in finem!* *Simp.* Orat tandem, orat Augustinus? *Al.* Oravit: da mihi castitatem, Et continentiam, Et modò da, da modò! *Simp.* O factum bene! & non audisti illud absurdum: noli modò, noli modò! *Al.* Nihil! sed diuturna oratio non fuit. *Simp.* Modò fervens, & seria, & saepius repetita. *Al.* Nescio, quid postea. Postremùm hoc vidi. Surgens à precibus iratus est sibi vehementer, ac pectus plangens iterato verbere ingeminavit: (a) *quomdiu cras, Et cras? quare non hac hora finis turpitudinis meae?* hinc miseruit

seruit me boni viri, nec tenui lacrymas luctantis contentio ne commotus, dixique tacite mihi: utinam nunc Simplicianus adesset! sic abii. Nunc, quia in te incidi, oro, ut observes nobiscum, quod res evadat: deinde, quod dictaverit prudenti tibi, age, ut decet. *Simp.* Severè agendum erit. *Nav.* Prò! quid audio? severè ages? iterum præcipitabit se Frater, unde emergit, si tu habeas malè. *Simp.* Præcipitet se, si vult: mihi certum est, cum ipso non ruere. *Al.* Deus bone! nunquam vocem similem à te audivi. Hactenus mitissimus virorum meras blanditias loquebaris: nunc tonitrua minaris, & fulmina: quis te Spiritus agit? *Simp.* Spiritus Christi, cujus Legatus sum, & pacis arbiter. *Pot.* Spiritus Christi est Spiritus dulcis, quia Domini *mitis, & humilis corde!* non utique degenerabis? *Simp.* Sinite me, scio, quid exigat officii ratio. Dixi: *Legatione pro Christo fungor,* arbiter pacis sum. Rebellem Augustinum vult optimus Deus in gratiam recipere, hanc offert per me: sed mihi sub pœna damnationis æternæ prohibuit, *exceptionem* ullam admittere: Nisi Augustinus *sine ulla conditione* se dedat, & subiciat Deo, actum est, non potest ad Baptismum admitti: hoc debeo denuntiare, & si dissimulem, me cum ipso perdam. Quotquot homines infernus urit, perdidit omnes *voluntas mala,* sed aliorum mala fuit, quia *perversa,* & amans sceleris, aliorum, quia *pigra,* & semper procrastinans, aliorum, quia *infirmus,* & ex horrore difficultatis passim à bona via resiliens, longè plurimorum tamen, quia *restricta,* & extra limites non procedens, quos Deus vult omnes prorui. Quid multa? *sine conditione, sine exceptione* dedi cor Deo debet *unum uni, totum uni:* sic est necesse, & mihi ligata potestas est, non possum aliter pacem dare. *Nav.* Metus novus oppugnat conceptam spem. *Pot.* A Deo veniet auxilium fratri, ut etiam rigorem ferat, quem lex Christi imperat pœnitenti. *Al.* Huc intrate, * Vides iterum

iterum sedentem sub arbore? *Simp.* Paulum legit.... *Nav.* Flet amarissima contritione cordis sui! .. *Pot.* Tristis, turbidus, anxius frendet adversus se... *Simp.* Credo, quia adhuc inter spem ac desperationem, inter audaciam & metum medius de sua turpitudine serubescit. *Al.* Nulla est quies. En ut oculos caelo figit cum gravi singultu!... *Nav.* Iterum dejicit.... *Pot.* Resumit librum.... *Simp.* Rejicit.... *Al.* Surgit. Videtis, ut gressum praecipitet? ... *Nav.* Quò se proripuit? *Pot.* Redit.... Iterum residet.... *Simp.* Mutus dolor vocem elidit. Mihi ex isto aspectu liquefcit cor.... *Al.* Nunc erumpit in verba moeror

S C E N A II.

Augustinus accedit.

Augustinus. Ah! omnia me mihi exprobrant. Hi flosculi, vide, qua veste niteant! sed quamdiu? .. sic perit voluptas, quam carni quaero... Hæ arbores, quam superba se extollunt specie! . folia habent, fructu carent. Sic ego in doctrina mihi plaudo: quam solam Deus aestimat, virtus nulla est.... Hic fons, ut salit variè, & lusum oculis facit!. per vim in altum surgit, suo pondere in ima recidit. Intelligo.... *Vim* debeo *naturæ* facere: aliàs in terram diffluit, & in cloacam degenerat, ex cujus putredine serpentes venenati, & foedi bufones prodeunt. Vah! turpis species vitæ actæ! *Simp.* Salubris cogitatio est. *Aug.* Cur autem non facio mihi *vim*? .. *naturam* nactus sum ad malos amores pronam: quid tum? sententia lata est: (b) *sub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius.* *Vis,* *vis* facienda est. Eccur ergò non facio mihi *vim*? *Pot.* Potens interrogatio est, cui vix responsum reperies. *Aug.* Nempe Africanus sum, & in Africa homo castus monstrum est: regionis vitium, & malum clima temperiem humorum perdidit..
(b) Gen. 4. quid

quid tum? Alipius, Nebridius, Potitianus Africani sunt, casti tamen. *Pot.* Per Dei gratiam. *Aug.* Et indomabiles bestiae cicurantur per famem: domari belluinus appetitus non possit?.. potest, sed nimirum per *vim*. Cur ergo non facio mihi *vim*?.. alii facilius facient sibi, quibus obtigit educatio melior: ego assuevi sceleri! & jam à tot annis! *Simp.* Tua culpa est, quod jam difficilior emendatio sit. *Aug.* Assuevi! quid tum? adhibenda erit *vis major*, quam ab aliis, quid tum? adhibenda tamen aliquando est, cur igitur non jam nunc facio mihi *vim*?.. non possum!.. aliquando potero, sic ego ipse mihi persuadeo: cur ergo non possim modò?.. utique possum, sed *vi* est opus. Cur autem non facio mihi *vim* denique? ah! hoc ipsum est, quod non possum!... & si possem *vim* mihi facere semel, iterum, etiam tertio, quarto: semper possem? quid? hoc ego mihi promittam? *Simp.* Iterum lapsas miser! iuvate boni Caelites! nam ista cogitatio pugnantem prosterneret... *Nav.* Miserabiliter flet... *Pot.* Excipiet istum imbrem dies serenior. *Al.* Solare Pater. *Simp.* Utilis tristitia est. Expectemus. *Nav.* Velut extra se raptus, immobilis sedet.

M U S I C A

Divinae Gratiae motus internos exhibet,

Ex L. 8. Conf. c. 11.

Continentia. Chorus castè viventium.

Continentia. Augustine! tu non poteris, quod isti, & isti?

An verò isti, & isti possunt in semetipsis,

Et non in Domino Deo suo?

Dominus Deus eorum me dedit eis.

Arietta.

Arietta.

I.

Cor sursum, Augustine,
Cor sursum erige!
Et obviam Divinæ
Festina Gratia!

Chorus. Tardatum satis est:
Abrumpe tandem moram,
Hanc Deus signat horam:
Hæc tua salus est.

2.

Cur dubitas sperare
In ope Gratia?
Vult Deus te juvare,
Et potest facilè.

Chorus. Si Deus tecum est,
Quod est *naturæ* grave,
Per *gratiam* fit suave:
Fel ipsum dulce est.

4.

Quousque obluëtaris?
Assurge, urge te!
Non primus evocaris:
Sunt multi ante te.

Chorus. A tot vestigiis
Jam tritam viam ire,
Et huc ad me venire,
Cur tu non poteris?

3.

En dura, exiccata,
En terra sterilis,
Hoc sanguine rigata
Evasit fertilis.

Chorus. Quot fulget floribus,
Tot Gratia Divinæ
Ut fidas, Augustine,
Instat clamoribus.

5.

Ah! potes, modò velis,
Si velis ferio:
Inanibûs quereis
Non stat conversio.

Chorus. Quid prodest gemere?
Promisso crede meo,
Confide bono Deo,
Et manum admove.

Tolle, lege! tolle, lege!

Aug.

Aug. Quid vidi? ô Deus! *Nav.* Redit ad se. *Aug.* O bone Deus! salubris exprobratio fuit! *Pot.* Gemit mitius. *Aug.* Et ita est: una generosa resolutione est opus: sic rumpentur omnia vincula, quæ me stringunt. *Simp.* Lux de cælo splendidius fulsit: speremus bene! *Aug.* Tolle, lege! tolle lege! quid legam? *Al.* Sanè ad cor locutum esse Deum, intelligo. *Aug.* Credo, quod Magno Antonio salutem tulit, idem mihi præcipi: quod fortuitò occurrit, legam. *Nav.* Frons, oculi, vultus, loquuntur mutatum fratrem: totus tranquillus est. *Aug.* O cultores castitatis Cœlites, dirigite manum, ut incidat in oculos textus, qui animæ profit! *Simp.* Sic places. Divinæ voci obedientem video. *Aug.* Auditus sum! Superi! quò me vertitis?... Alipi! Alipi! *Al.* Me inclamat. *Simp.* Tene te. opperiamur, quid porro fiat. *Al.* Discessit à me. Mira lux animo venit. (c) *Non in commestationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudiciis, non in contentione, & æmulatione, sed induimini Dominum Jesum Christum, & carnis providentiam ne feceritis in concupiscentiis.* Prodigium apertum! sæpe aliàs hunc ipsum Apostoli locum legi, nunquam sic. Nunc penetro. Augustine, quam tantis impendiis quæsvisti Beatitudinem, en manu tenes: vide, ne denuo abjicias. *In quo sit Beatitudo, & in quo non sit, ecce habes.* Non in oblectationibus gulæ, ac Veneris, absit! non in contentiosa ambitione honorum, & laudis, Augustine, sed in hoc beatus eris, quò induaris Dominum Jesum. *Pot.* Pater, conversus est Augustinus! *Simp.* Intellectu quidem, voluntate nondum. *Aug.* Quid autem est indui Dominum Jesum, nisi conformare se moribus Jesu, moribus castis, pudicis, modestis, sanctis? *Simp.* Omnino sic est: *Aug.* Hac conformitate nititur tota (d) *spes vitæ futuræ: sine hac adeò nulla Beatitudo est.* Sic memini alibi docere eundem Apostolum, quòd *prædestinati non sint, nisi qui conformes fiunt Imaginis Filii Dei.* *Nav.* Erumpamus tandem! conversus est
S
frater

frater! *Simp.* Nondum, ajo: nam aliud est cognoscere veritatem, aliud amplecti. *Aug.* Sed nempe ut ex imagine tam deformi, imago conformis fiat Prototypo tanto, hic erit labor gravis, molestus, diuturnus! *Simp.* Auditis? *Al.* Et tu cessas nutantem firmare tandem! *Sim.* Patientia! *Aug.* Una generosa resolutione est opus! nam, quod potuerunt tot alii, etiam ego possum: certum est. *Sim.* Utinam agas demum, quod potes! *Aug.* Quando igitur me resolvam? *Sim.* Nunc gratia urget. *Aug.* Natura horret!... horreat! vincenda est aliquando, vincatur modò!.. Aggredere te! quid adhuc hæsitas? *Nav.* Jam flectit genu. *Aug.* Difficile est nihil refert, Impera tibi anime! eja citò!... *Pot.* Vah! nondum tamen! *Aug.* Iterum trepidas? ô homo imbellis, quousque mancipatum putridæ carnis feres? homo temerarie, quousque abutèris patientiâ optimi Dei tui! homo sceleste, quousque calcatis legibus Legislatorem Omnipotentem contemnis impudens, & cum execrabili audacia insultans clamas: *nescio Dominum! non serviam! non serviam!* .. velis, nolis, servire debes! .. cheu! annos omnino triginta vanitati, carni sceleri, diabolo vixi!.. satis est, plusquàm satis! *Sit mihi cælum & terra testis! reliquos, ô Deus salutis meæ, reliquos tibi vivam, & tibi soli, & hoc ex hora hac!* .. *Nav.* Victoria! *Sim.* Silete adhuc paululum. *Aug.* Boni Superi! quid est hoc? conversum cor sentio. *Alipi!* *Alipi!* *Sim.* Mihi superest actio, & hujus resolutionis examen, ne fallat nos Augustinus, & se. *Aug.* Súmne Augustinus, an non sum? non sum, certè non sum! ô coelum, quis est hic sensus animi; quæ dulcedo insolita, & nunquam gustata mihi! (e) *ô gaudium, ô verè pax Dei, quæ exuperat omnem sensum!* *Alipi!* *Alipi!* .. cui dicam hoc bonum, quo subitò beatus sum!

SCE-

(e) *Phil.* 4.

SCENA III.

Augustinus. Simplicianus.

Simplicianus. Augustine! *Aug.* O salve Pater! tandem tuus est Augustinus, aut, quod audire malis, totus est Dei. *Sim.* Serio? *Aug.* Facta est *Resolutio*, & non movebor amplius in æternum. *Sim.* Vidi pugnantem, audivi verba bona: sed ne ipse fervor, quo ardes, te fallat, metuo. Severè te inspice, & quanquam usus es gratiâ ad victoriam, ne triumphes, antequam debellaveris, sedulo cave. *Aug.* Novi me, *Simpliciane*, & timeo me: *in gratia spero.* Pater, non invenio verba, quibus me explicem tibi nunc. *Vivo ego, jam non ego,* alia profus nunc est mens, ut primùm facta est *Resolutio* vitæ mutandæ. Abiit horror, disparuit diffidentia, evanuit ipsa, qua tenaciter ligabar, *affectio ad delicias carnis,* & in illius locum subiit *aversio,* & *odium,* ita ut jam mirer, placere potuisse voluptatem, cujus abominationem modò tam jucundam experior. *Simp.* Præmium Generosæ Resolutionis dat Deus. Quidsi paulò post subtrahat iterum has delicias Spiritûs, scilicet redibis ad illas, quas nunc damnâsti? *Aug.* Fastidium est vel cogitare. *Simp.* Quamdiu sic? paciscar iterum, ut unam saltem hebdomadam castus vivas? *Aug.* Pudet pacti! fidem, quam hodie Deo feci, servabo ad mortem usque. *Simp.* Redibunt nugæ tuæ, & tentationes vehementiùs ingruent. *Aug.* In te, Domine, speravi, non confundar. *Servabo fidem!* *Simp.* Non credo, nisi statuas præter peccatum, etiam fugere peccati periculum, & saltem proximas occasiones vitare. *Aug.* Velut à facie colubri fugiam. *Simp.* Si etiam fugitans, casu incidas, quid facies? *Aug.* Timore Dei videntis omnia, & ulturi, obarmabo pectus: *Servabo fidem!* *Simp.* Si mali habitus, & inolitæ consuetudinis vis propè invitum retrahat in amorem mali?
S 2
Aug.

Aug. Vim vî repellam : *servabo fidem*, & dicam ! NOLO ! *Sim.*
 Sed de vita tam malè acta quam tu poenitentiam ages ? *Aug.*
 Recogitabo Domino omnes annos meos in amaritudine animæ
 meæ ! & actibus contrariis actus pessimos expiabo. *Sim.* Quasi
 diceres : *Actibus amoris prohibiti opponam actus Amoris Divini.*
Aug. Hoc dico, hoc faciam. *Sim.* Si autem amabis Deum, utique
ex amore Dei suscipies labores, tædia, curas, molestias, saltem
 quales suscepisti toties amore amoris mali ? *Aug.* In pudorem me
 agis, & video te diffidere mihi. Sed crede, Pater, plûs, quàm
 speras, mutatus sum, & plûs, quàm ipsèmet speravi. Age,
 duc ad Episcopum, ut pro Baptismo supplicem. *Simp.* Si non
 admittat, si differat Sacramentum, ut probet constantiam,
 æquò animò feres ? *Aug.* Amo Deum ! *amore Dei* libenter, &
 hilariter feram, quidquid ferre me velit Deus. Ah Deus ! *Deus*
meus, pulchritudo tam nova, pulchritudo tam antiqua, quàm serò
te cognovi ! quàm serò te amavi ! *Sim.* Serò utique, sed serò tan-
 dem. Naturam nactus es ad amores pronam : si elegisses obje-
 ctum amore dignum, quantus esses ! *Aug.* Doleo, affectum
 tam nobilem objectis tam indignis me addixisse ! tu solus, Do-
 mine, tu solus amore meo es dignus, & alius nemo præter te,
 nisi propter te ! *Sim.* Solum igitur posthac amabis ? *Aug.* So-
 lum toto corde, totis viribus, tota anima ! *Sim.* Quando ?
Aug. Omni tempore. *Sim.* Ubi ? *Aug.* Omni loco. *Sim.*
 Quomodo ? *Aug.* Omnî modò, quo ipse vult, ut probem
 amorem sibi. *Sim.* Vult, ut probes agendo, quidquid impe-
 ret. *Aug.* Agam. *Sim.* Omittendo, quidquid prohibet. *Aug.*
 Omittam. *Sim.* Patiendo, quidquid immiserit mali. *Aug.* Urat,
 fecet ! patiar, modò in æternum parcat, & ab amore sui mise-
 rum non excludat. *Sim.* Si præceptis superaddat consilia, ex-
 cipis ? *Aug.* Nihil, Pater, nihil excipio, quia amo, & ô unicè
 amabilis Deus, da, ut amem ardentius, amem te fortiùs, amem
 amore, quantum capere cor istud potest. *Sim.* Sic bene ! exer-
 ce

ce te in amore. Amor Dei iugum suave, onus leve, servitutum jucundam facit: & servit constanter, quem delectat servire. Aug. Discipulum docilem habebit Ambrosius: siste me! moram longiorem non patior, nam hoc scito, mi Pater, fui, eheu! fui peccator, & magnus, & diu: at nunc (vivit Dominus, in cujus conspectu sto!) nunc statutum est: Sanctus fieri volo, & Magnus, & cito.

SCENA IV.

Personæ omnes.

Simplicianus. Jo! hæc est perfecta Conversio! nunc procedite amici, & congratulamini mihi, quia inveni ovem, quæ perierat. Aug. Ecce, adestis vos! Al. Beatè est! Nav. O felix dies! Pot. Vive heros & victor tui! Omnes. O læta mutatio! Aug. Benedicite Deum cæli, qui fecit mecum misericordiam suam! evasi ex carcere tenebroso, rupi catenas graves, liber sum! Sim. Mutatio à Deo est. Aug. Et post Deum à vobis. Tantum bonum tuæ, Pater, directioni, & patientiæ, tuis, Potitiane, colloquiis, tuis, Alipi, exemplis, tuis, Navigi, obsequiis, & tuis, ô Mater mea, lacrymis debeo. Nav. Quantis Monica subsiliet gaudiis! præcurro nuntius. Aug. Simul ad ipsam imus, & cum ipsa ad Ambrosium. Pot. Præcipio animo Præfulem triumphantem lætitiâ. Sim. Triumphus est Gratix! Al. Triumphus grandis! Aug. Te Deum laudamus! Omnes. Te Deum laudamus!

O. A. M. D. G.

S 3

MEDI-

MEDITATIO V.
 AUGUSTINUS SANCTUS,
 SIVE
 FRUCTUS VICTORIÆ
 ARGUMENTUM.



Augustinum jam conversum Ambrosius non statim ad Baptismum admisit, sed dilata *per integram biennium* Sacramenti susceptione, constantiam viri vel probavit, vel firmavit, nempe ut non qualiscunque, sed *perfectæ Conversionis* Exemplar posteris daret. Tempus illud Augustinus, abdicatâ Rhetoricâ, in villa Verecundi prope Mediolanum unâ cum Matre, Fratre, & amicis *in perpetuo Exercitiorum Spiritnalium usu* transegit, ut *experientia* disceret, quantô jucundius sit Deo, quàm Carni, & Mundo servire. Præcipuè autem usurpâsse credimus *Exercitium Amoris Divini*, quod *Soliloquia* probant, libellus sublimissimis affectibus plenus, & in illa biennali solitudine à nondum baptizato conscriptus, tanto cum fructu, quantum admirari satis non potest, qui *librum 9. & 10. Confessionum* legit, & inter Augustinum *Peccatorem ac Sanctum* comparationem instituit. Nos hodie instituemus, ideoque hujus postremæ Meditationis erit

Materia:

- Materia:* Heroicæ Resolutionis Heroica Executio.
- Puncta duo:* Primum, Executionis Locus *in solitudine.*
Secundum, Executionis Modus *cum perfectione.*
- Fructus:* Desiderium *Conversionis perfectæ*, qualis est, quæ ab amore perfecto inchoatur, & ab eodem continuatur.
- Propositum:* Resolvere se ad frequens *Exercitium Divini Amoris* cum sincero affectu usurpandum, & ut affectum sequatur effectus, determinare se *in specie ad certum ordinem actionum suarum*, qui faciet, ut per *Experientiam* discamus, quàm suave sit Jugum Christi, & falsa multorum persuasio, quòd vita proborum sit triftis, ac melancholica.

P E R S O N Æ.

S. *Simplicianus.*S. *Augustinus.**Alipius.**Potitianus.**Verecundus.**Romanianus.**Nebrius.**Navigius.*

P R O-

PROLOGUS.

Reflexio in Meditationes præteritas, &
Præparatio ad præsentem. (a)

Anima meditans. Angelus explicans.

Anima. **O** Bone Genie, quàm bene est mihi *hodie!*
Experior, quòd suave sit, *Deum diligere!*
Amore caleo, ferveo, æstuo!
O flammæ cælicæ! urite ampliùs! consumite me!

Aria.

Ah! quare
Non possum, ut vellem amare!
Improvida natura!
Dedisti plures oculos,
Aures, pedes, digitos,
Cur non & corda plura?
Domine, ut amem te,
Ah! quod *unum* est in me,
Non potest cor sufficere!
Improvida natura,
Cur non dedisti *plura!*

2.

O Deus,
Ut angitur animus meus!
O si daretur mori,
Et rupto posset pectore

Cor

Cor saltem istud liberè
 Laxare se amori!
 Dulcis mors! beata fors! ..
 Horæ pigræ currite! ...
 Adsit ô! quæ jubet me
 Amabili victori
 Succumbere amori.

Angelus Ardet affectus, gaudeo!
 Sed parum æstimo, nisi effectum videro.
 Nam quamdiu sic?
 Novi te, & nondum tuæ fido constantiæ,

Aria.

Hodie sancta es: alas appendis,
 Volatu audace ad astra contendis:
 Supra Cherubinos
 Inter Seraphinos
 Amor constituit te!
 Triumphas hodie:
 Cras, Deus scit, quid sit futurum de te.

2.

Cras forsan pennæ diffluent,
 Et Icarum sibi plaudentem,
 Cordique Divino hærentem
 Heu! subitò destituent,
 Ut lapsa de cælo,
 Infelix in cæno

Repentè invenias te.

Anima. Averruncate Superi ferale præfagium!
Angelus. Implebitur, si dulci abrepta fascino piorum affectum,
 Oblivisceris, quæ Amor exigit, operum.

Anima. Ecce me! impera, instrue!

T

Ango-

Angelus. Omnia, quæ meditata es, recole.
Fides te tibi exhibuit, ut horreret: *horruisti!*
Timor, ut jugum Domini *sine mora* susciperes, institit:
 (suscepisti!

Spes, ut sub jugo perstares, animavit: *perstitisti!*
Amor, ut jugum ipsum diligeres, persuasit: *dilexisti!*
 Porro *unum est necessarium* Amoris exercitium:
 Quod facis hodie, *cras* prosequere,
 Et, quem coepisti diligere Dominum,
 Semper dilige.

Affectum, si frequenter exerceas, sequetur effectus,
 Nam efficacissimum,
 Ut bonum facias, incitamentum,
 Et ut in bono perseveres, remedium
 Est amoris *Exercitium*:

Semper dilige!
 Sic Ambrosius Augustinum exercuit,
 Sic Augustinus exercere se didicit,
 Sic in verticem Sanctitatis *sine relapsu*, evasit.
 Sequere. Certum est, *nec Spes*, *nec Timor*
 Semper excludit peccatum: excludit *Amor*.
 Non potes peccare, nisi desieris *amare*.

Anima. Jo! jucundum, & facile
 Ad perseverantiam remedium
 Amoris *Exercitium!*

Angelus. Quale esse oporteat, doceo hodie,
 Animum applica,
 Et, ut capias *proximæ doctrine*,
 Gratiam à cælo postula.

Aria.

Ambo.

Amoris Exercitium

Ad confirmandum animum

Volenti aggredi,

Favete Superi! ..

Sunt pia *desideria*,

Quæ si per vos, ô Sidera,

Junguntur *operi*,

Novum Augustinum

Pavete Inferi!

MEDITATIONIS V.

De Heroicæ Resolutionis

Heroica Executione

PUNCTUM I.

Executionis Locus.

SCENA I.

Potitianus. Navigius. Nebridius.

Nebrius. Ah! quanta me voluptate vestra narratio afficit?
 Et cur ego infelix *non adfui* (a) ad spectaculum triumphî
 tam nobilis! *Pot.* Omnino jucundior aspectus fuit, quàm
 ut facîle capias. *Nebr.* Ut biennium integrum, quo ego in Afri-
 cam reversus, hinc abfui, Augustinus *solitarius* viveret, effectus est,
 amici, victoriæ utique non vulgaris, præcipuè quia in primo con-
 gressu vidi, nihil illum in hoc vitæ genere tædiò affici, imò deli-
 ciis adeò affluere, ut dubitem, an non beatitudinem suam in

T 2

ista

(a) *L. 2. Conf. c. 6.*

ista silva constituat. *Nav.* Certè Aulicorum exemplum, de quibus Potitianum narrasse audisti, ita commovit animum Fratris, ut nihil frequentius repetat, quàm beatissimos esse in hac vita homines, qui abdicatis negotiis, ac curis sæculi omnibus, sibi solis vacare, suæque saluti, possent. *Nebr.* Idem dicebat mihi, & quod nescio, an vos sciatis, conversus ad Romanianum, quem ex Africa mecum adduxi, subridens addidit: ego, Romaniane, hanc ipsam beatitudinem unicè opto mihi, ac tibi. *Pot.* Romanianum salutabam heri, & narravit mihi de consilio Vitæ communis (b) quam statim post susceptum Baptismum, collatis in unum facultatibus, velletis ordiri, remotique à turbis totam unius Sapientiæ, ac Salutis studio consecrare. Nunquid hoc volebas dicere? *Nebr.* Hoc: jamque trahitur etiam Verecundus in sententiam, ut ita nostrum octo, aut decem in unam Societatem conveniant, quorum essent omnia omnium, & finis unus, *servire Deo Soli.* *Nav.* Fortè hoc ipsum est, quod optat Ambrosius. Nam cur biennium integrum à Baptismo suspenderet, nisi, ut protracto novæ vitæ tyrocinio assuesceremus solitudini, ac exercitiis piis, cæptamque bene telam perduceremus ad finem? *Pot.* Prudenter judicas, neque aliter excusari videtur posse rigor, & severitas sancti Præsulis. Perficite, quod molimini! ego, amici, quàm libenter me vobis jungam, si liberare me possim à servitute, qua Cæsari teneor! nunc ligatus sum, & cras redeundum est Treviros, sicut nudius tertius Mediolanum Româ perveni. Ita nulla est quies in ista vitæ conditione, quam profiteor. Vix saluto amicos, jam cogor valedicere. *Nav.* Neque nos adhuc sumus in portu. Unum difficilimè movebimus lapidem, qui obstat vitæ communis consilio. Verecundus & Romanianus uxores habent: consensum mulierum requirere est necesse, obtineri posse vix aliqua spes. *Nebr.* Erit opus tamen virorum operâ: *opulenti sunt, (c) & non possu-*
mus,

(b) L. 6. Conf. c. 14. (c) *Ibidem.*

mus, nisi ab illis suffulti, vitæ in sacro otio transigendæ expensas diutiùs sustinere. *Pot.* Laudabilis providentia. Conferre operam utilem apud fæminas Monica poterit, ut nihil opponant. *Nav.* Et jam cæpit. Nihil Matri optatius accidit ista methodo vitæ, quam tenemus. *Nebr.* Amor solitudinis mihi à puero fuit: hinc pronus in vestrum sensum, & nihil obluetans ibam. Superest, ut de methodo, qua vivitis, docear. *Nav.* Duobus verbis totam complector: *vivimus ordinatè.* *Pot.* Solitudo, & Ordo, ô gemina elementa, ex quibus vita beata conficitur! Sed, quæ nemini magis quàm in Aula degentibus defunt! *Nebr.* Etiam mihi hæc descriptio placet, neque tu hæc duo, *elementa beatitudinis*, sine ratione vocâsti. *Pot.* Sic audiebam appellari à viris solitariis, quibuscum per occasionem agebam sæpe. Causam nominis requirenti, respondebant: omnis infelicitas *ex turbatione* venit: *turbatio* autem propè nulla, nisi *ex turbis* sive hominum, sive negotiorum. Comprehendi dudum hanc Philosophiam: ideò jam diu suspiro, ut liber sim. *Nebr.* Sed tu ipsum ordinis vestri modum diligentius explica: non enim quivis ordo potest ad beatitudinem conducere aliquid, sed *ordo actionum bonarum*, quarum varietas tædium pellat. *Nav.* Sic distributæ sunt horæ. Septenas per noctem concedimus necessario somno: totidem orationi per intervalla impendimus, iam contemplantes divina, jam Deo psallentes: septenas item lectioni damus, & scriptioni rerum spiritualium, piisque colloquiis, denique tres reliquas refectioni corporis, ac exercitationi. *Pot.* Cænobitarum hæc vita est. *Nebr.* Vita Sapientum. *Nav.* Vita beatorum, quam hocasserentibus vix quisquam credat, nisi qui se resolverit ad hujus methodi experientiam saltem per dies aliquot capiendam. *Pot.* Etiam Augustinus non credidit, quod sentit modò, & mihi non sine tenerrimo sensu professus est, sæpiùs repetens: Potitiane, non possum explicare, *quàm suave sit mihi, carere sua-*

T 3

vita-

(d) L. 9. Conf. c. 1.

vitatibus nugarum! & quas amittere metus fuerat, jam dimisisse, quantum sit gaudium, vix ipse capio. (d) Nav. Ut plenum sit, gratia Baptismi faciet, cujus quò diuturnior dilatio, tantò ardentius desiderium est.

S C E N A II.

Accedunt Alipius. Romanianus. Verecundus.

V*Verecundus.* Nebridi, Simplicianus ab Ambrosio adest: mihi cupido est, inter Baptismi * *competentes* adscribi. *Rom.* Nos jam condiximus: accedes etiam? *Nebr.* Nisi me Africa tenuisset, cum Augustino dedissem nomen. Nunc ecce adsum. *Al.* Erit copioso loquendi Presbytero, cum collocutus fuerit Augustino & Monicæ, ad quos arcana ab Episcopo mandata habet. *Nav.* Credo, de vitæ communis consilio, quod se relaturum ad Præsulem heri spondederat. *Pot.* Aut, quid? Si exoratus tandem Baptismum offerat Præsul? Nam iterum propinquum est Pascha, & vos quam fitis serii in sancto proposito, probastis satis. *Nav.* O si! ô si! *Al.* Lætiior nulla luxisset dies, & ex hac villa jam cælum fieret. *Nebr.* Vitam Cælitum jam nunc vivitis, quando vita vestra tota in eo se occupat, quod Cælites faciunt, in *amore & laude Dei.* *Al.* Sed ô quanto fiet post Baptismum *Amor* securior, & *laus* jucundior, cum Sacramenti gratia conatum adjuverit, & in quo concepti sumus, peccati vires potentiùs fregerit! *Verec.* Efficite, ut comes veniam! hoc Beneficium pro biennali usu istius villæ videor mihi jure expetere. *Nebr.* Mihi sufficiet, spero, amicitiae titulus, ut velitis Patroni esse. *Al.* Severior est Ambrosius, ô boni, quam ut patrociniis aliquid deferat. Probabit, certum est, & donec inter Catechumenos in doctrinæ Catholicæ tum notitia, tum usu profeceritis, quantum expetit, non admittet ad Sacramentum, quin ne quidem inter *competentes* adscribet, minimè inter *Electos.*

* Sic vocabantur catechumeni.

Electos. Verec. Non improbo prudentem rigorem. Cautè nimirum Ecclesiæ horreum implere triticò mavult, quàm paleis: ideò tam longum tyrocinium imperat, & istos in tyrocinio gradus. Subjicio me! utinam citiùs fecissem! *Rom.* Poteras utique opportunitate uti in villa tua. *Verec.* Poteram, nisi seriùs agnovissem, quantum sit bonum, quod isti huc intulissent. Domesticæ curæ distraxerunt, ut ipsis parum attenderem. *Rom.* Me mea infelicitas in Africa tenuit, donec de Augustini constantia certiùs constitit. *Nebr.* Possumus moram fervore compensare. Transigite cum uxoribus vitæ solitariæ placitum, & erit occasio proficiendi celeriter. *Verec.* Audiemus saltem, quid Ambrosius velit.

S C E N A III.

Personæ omnes.

Augustinus. Amici, ordo, & hora monet, ut consueta collatio fiat: ecce adest Pater animæ nostræ, qui nos pascat verbo, quod procedit de ore Dei. *Simp.* Salvete filii! gaudeo, frequentiore solitò conventum videre. *Aug.* Hic est, Pater, Mæcenas meus, quem gratulor mihi, exemplò trahi ad beatam vitam, quam ego ambio. *Rom.* Participem me facio tanti boni, quantum invenisse se apud Catholicos Augustinus lætatur. Tu, Pater, ut novum discipulum admittas, supplex rogo. *Simp.* Ambobus brachiis venientem amplector, & te, Nebridi, redeuntem. *Nebr.* Utinam abiissem nunquam! Quod in Augustino displicuit malum, ipse admisi: sic homines sumus. Urgebat fervor, ut tardanti præcurrerem, nunc difficultas erit, se qui vel à longè etiam: adeò immutatum stupui. *Verec.* Ageamus tamen, quod Deus postulat, ut digni simus eadem aquâ salutis tingi. *Pot.* Hæc gratia probatis fiet, nunquid, Pater, ad
Pascha

Pascha proximum? & ut nunties, ideò ades? *Simp.* Ideò, sed non
 ideò tantum. *Aug.* Navigi, Alipi, gaudeamus in Domino, læ-
 temur de gratia! est propinqua felicitas desiderata tam diu. Tan-
 dem Baptismum addixit Ambrosius. *Nav.* *Al.* Beati sumus!
Pot. Gratulor sortem bonam! *Nebr.* Ego invideo. *Rom.* *Verec.*
 Nos speramus. *Aug.* Enimverò magna gratia, magna gratia
 pro me præcipuè, gratiam nunquam, & toties supplicia semp-
 terna promerito! *Nav.* Magnus Deus miserrimum homulum
 adoptat in filium, & facit hæredem, magna gratia! *Al.* Et me
 præ tot aliis seligit, magna gratia! *Aug.* Superabundo gaudiò,
 & tota mens melleo mari innatat! *Simp.* Sed præparandus est
 animus Sacramento, ut gratia uberior manet ex fonte tam dulci,
 ex quo omnes hauriunt multum bonum, plurimum ille, qui
 mundior, & magis capax accedit. Colloquamur, quoniam ideò
 ex urbe huc veni, ut, qua præparatione possitis capacissimi ma-
 gnæ gratiæ fieri, edoceam. *Pot.* Audire & mihi liceat, nam quod
 de Baptismo loqueris, nunquid de cæteris etiam Sacramentis in-
 telligis, quorum usus est Baptismum? *Simp.* Sic est, Potitiane,
 & tu audies utilia tibi pro præparatione ad quodlibet. *Rom.* Ego
 saltem quantum absim à vertice, in quem contendo, intelligam.
Nebr. Et ego impellar, ut curram. Loquere. *Verec.* ¶ Nemo te
 audiet sine fructu, postquam hac intentione convenimus, ut
 Augustini sequamur exemplum. *Aug.* Præeundi certè deside-
 rium est: nam cupio saltem tam bonus fieri, quàm malus fui. Tu
 digitum intende in viam: ardua, & aspera sit, nihil refert, modò
 sit certa. *Simp.* Certam & brevem monstro. Confidete. Hoc
 ante omnia tenete, Filii, memores omni tempore, quòd, quanta
 felicitas est Catholicè credere, tanta necessitas sit, Catholicè vive-
 re. Intellectum sub jicere Deo loquenti, & voluntatem non sub-
 jicere imperanti non est hominis bene sani. *Al.* Nempe quia
 idem est Dominus, qui imperat credere, & qui imperat age-
 re,

re, vel omittere. *Nav.* Nihil igitur nobis Baptismus proderit, & sancta fides, nisi fuerint & mores sancti, certa consecutio est. *Simp.* Certa. Jam ut mores fiant sancti, prima moderatrix Pœnitentia est; nemo est enim, qui non habeat aliquid, quod non damnet in se, & emendet. *Aug.* Ego plus, quàm omnes! *Simp.* Porrò pœnitentiæ initium fit à dolore de præteritis, & à generosa Resolutione ad futura rectiùs ordinanda. Errant ergò, qui in dolore subsistunt, neque verus est dolor, quem nulla Resolutio sequitur. *Aug.* Ah! quamdiu hæc me deceptio tenuit! *Simp.* Sed neque resolutio multum prodest, nisi sequatur executio velox, ac constans: velox, quia si differtur, plerumque fit nulla, constans, quia nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retrò, aptus est regno Dei. (e) *Verec.* Hic rem difficilem commemoras in hac fragilitate naturæ. *Simp.* Quantacunque sit difficultas, nihil attendi debet, quando periclitatur æternitas, & ego, non quid sit facile, nunc doceo, sed quid necessarium. Tu verò Augustine, jam intelliges cum solatio, cur Ambrosius tibi solitudinem suaserit, & hucusque distulerit Baptismum conferre. *Aug.* A prudente Medico miser ægrotus rationem medicinæ non exigit. *Simp.* Sapienter fecisti, quòd patiens tuleris moram: modò discite ex te, quid aliis profit. Recordare, quantis lætitiis incesserit bonus Præsul, cùm de generosa resolutione audivit, quam post gravem luctam fecisti. Statutum est, aiebas, volo fieri Sanctus, & magnus, & citò! Et Ambrosius si post hanc resolutionem, sicut poterat, quia seriva fuit, statim administrasset Sacramentum, dic, obsecro, quid loquitur animus tibi, quæ, aut quando hanc Resolutionem secuta esset executio? *Aug.* Pater, trepidat mihi cor ad istam interrogationem. *Simp.* Et ego, si cogito, qualis fueris, facilè intelligo, qualis esses, si nactus esses præcipientem medicum. Itaque quòd Ambrosius ante Baptismum solitudinem suaserit, factum est, non, quòd vellet te eremicolam perpetuum fieri, sed ut Resolutionem certiùs sequeretur executio,

(e) *Luc. 9.*

U

&

& velox, & constans. Nunc affecutum se gaudet, quod voluit, & tibi duo magna bona ne quidem advertenti ex ista vitæ methodo obvenerunt. Primùm, assuevisti *solitarius* vivere, itaque non amabis posthac *turbam hominum*, & nisi cogat ratio ferre, libenter te subtrahes conversationi mortalium, ut cum Immortali loquaris. Deinde assuevisti *ordini actionum*, itaque fugies posthac *turbam negotiorum*, & cùm etiam premet moles, distribues labores per tempora, & semper residuum erit aliquod, quod Spiritui proficit. Quantum sit utrumque bonum, ut ingenio vales, ipse perspicias. Hoc palpas etiam, consilium opportunius cogitari non potuisse, nec adhiberi efficacius medium, ad hunc finem, ut esset *Resolutionis Executio* certò velox, & probabilis constans.

Aug. Pater, suspicio mentem divinam in viro sancto: nunquam mihi hæc consilii ratio incidit. O beata solitudo! tibi debeo, quod sum! turbis debeo, eheu! quod fui, turbis hominum, turbis negotiorum!

Simp. Tene affectum, & audi plura. Ex duobus commodis, quæ narravi, natum est tertium, ut *executio Resolutionis* non solum esset velox, ac constans, sed ex die in diem perfectior, & jucundior etiam. Processisti per otium, ac ordinatè per gradus. *Memoria* collegit axiomata principiis diabolicis opposita: *Intellectus* perspexit veritates practicas, ex quibus se regeret immortalis anima ad acquirendam vitam illam, propter quam Dei Filius descendit de cælo, & homo factus est, ut nos faceret quasi Deos: *Voluntas* exercuit se in virtutibus variis, & *experientiâ* didicit, quàm verum sit illud Sapientum acroama cedrò dignissimum: *vicisse voluptatem, voluptas est maxima*. Denique ut paucis dicam omnia, hoc suo consilio fecit Ambrosius, ut primùm homo, deinde Christianus, denique sanctus evaseris. Vide, quid debeas.

Aug. Ingratus sum, si aliquid negem. Quid nunc vis, ut faciam?

Simp. Ut, quod fecisti, per hoc biennium, nunc maximè facias, cùm te præparas Sacramento: exerce te in amore Dei. Tria bona solitudinis numeravi: quartum est, quod nemo æstimare satis potest.

test, quòd solitudo doceat Deum amare. In solitudine videndum se exhibet invisibilis Deus, & agnoscitur, quàm amabilis sit. Hæc cognitio amorem parit. *Al.* Amantibus, amorem solitudinis facit majorem oratio tua, & erit perpetuus amor, si probat *vitæ communis* consilium sanctus Præsul. *Aug.* Et nunquid probat? *Simpl.* Placuit Ambrosio desiderium pium, adeò, ut propter hoc maximè gratiam Baptismi decreverit. *Simpliciane*, dicebat mihi exultans lætitiâ, *Simpliciane*, istis solitudo placet: ergò gustârunt & experti sunt, *quàm suavis sit Dominus*. Hæc *experientia* tenebit, ut constanter adhæreant Deo: probati sunt fati: baptizentur. *Nav.* Divina pronuntiatio! *Aug.* Omnino *experientia* docuit, quod nemo unquam persuasisset, ut crederem. Quòd si tanta suavitas se infudit nondum baptizatis, præcipite animo, quis futurus sit sensus dulcedinis post baptismum? Amici, *bonum est nos hîc esse!* Firmum decretum sit, quod Ambrosio placet: faciamus *Tabernacula*. Figatur habitatio in villa hac! deslere præterita, præsentia contemnere, meditari futura, hæc posthac vitæ reliquæ omnis occupatio sit. *Al. Nav.* *Solitudo placet!* Solitudini addicimus tecum annos omnes, quos Deus dabit. *Pot.* Felices animæ! *Nebr.* Accedo vobis! *Roman.* *Verec.* Et nos, cùm licebit. *Simp.* Præceps conclusio est: erratis omnes. Placere vobis solitudinem, hoc placuit Præsuli: ut *incolæ perpetui* sitis, hoc non placet: ad tempus & per intervalla redite, cùm erit commodum, non tamen ut hæreatis, sed ut pastus suis deliciis spiritus redeat fortior ad labores, quos exigit cujusque vocatio, & ratio statûs. *Aug.* Quid est hoc, amici, ad turbas hominum & negotiorum retrahimur abstracti ab otio tam dulci, tam salubri? *Nav.* Quæ est ista tam non expectata sententia? *Al.* Tam molesta animæ soli Deo affixæ? *Simp.* Imò jucunda Deum amanti. Notate, quod dico: *solitudo ad tempus* suadenda est omnibus propter insignia commoda, quæ narravi: solitudo perpetua eligenda est nemini, nisi cui dubium prudens est nullum, quin suadeat Deus.

Aug. Mihi suadet: nam unde est ista suavitas, quæ vitam aliis tetricam, mihi amabilem facit, si à Deo non est? *Simp.* A Deo est ista suavitas, do tibi hoc: sed non ad hunc finem est, ut silvæ te alliget. Non ut *fruaris*, Augustine, est data, sed ut *utaris*: neque enim tibi es natus, sed Reipublicæ, sed Ecclesiæ, sed orbi: & talenta, quibus ditatus es, non accepisti, ut in solitudine sepelires, sed ut disceres bene uti, solitudo adjuvit. *Aug.* Turbâsti gaudium, Pater, quia turbas timeo, à quibus tam malè sum habitus. *Simp.* Amas Deum? *Aug.* Ideò solitudinem amo. *Simp.* Ideò solitudinem desere! hoc adhuc unum deest *executioni* resolutionis, quam amor exigit, solitudinem desere. *Aug.* Quam tot laudibus extulisti? *Simp.* Laudavi, quia Schola amoris est. Sed quis semper in Schola hæret? didicisti amare, satis fortis es, ut vel inter turbas turberis à nemine. Quanquam an fallor? aut verè te potiùs quàm Deum amas in solitudine tua? dulcedo tenet, laborem horres, vide, utrum aut hoc aut illud Argumentum suggesserit Amor Dei, an utrumque Amor tui. Ingredere te, & severè examina, an & quantus amor sit, quo amas Deum: postea quid sit discernendum, intelliges. Decretum amandi Deum amore perfectissimo est illa præparatio, quæ requiritur, ut animam gratiarum magis capacem Baptismo afferas! *Aug.* Amore perfectissimo amare Deum jam est decretum mihi: tu doce regulam, ex qua judicem, quis sit perfectior. *Simp.* Docui gradus. *Charitas cum fuerit nata, nutritur, cum fuerit nutrita, roboratur, cum fuerit roborata, perficitur.* Sic fit progressio: Nihil amandum est *supra* Deum, nihil *præter* Deum, & Deus *sine* modo. *Aug.* Habeo puncta Examini. Solus eo. *Simp.* Eadem vobis dico, candidatis Baptismi, idem examen facite. In nomine Dei Unius, ac Trini fiet ablutio, observate amoris causas: amandus est Deus, quia *Deus* est, quia *Unus*, quia *Trinus*, Deus est, ideò nihil amandum est *supra* Ipsum: *Unus* est ideò nihil amandum est *præter* Ipsum: *Trinus* est, ideò amandus est *sine* modo. *Al.* Observatio gravis: expendam. *Nav.* Meditabor.

SCE-

SCENA IV.

Simplicianus. Nebridius Romanianus. Verecundus. Potitianus.

Potitianus. Vir magne, tu doctrinam Neophytis tradis, qualem ego Veteranus & cum cænobitis conversatus non rarò, vix audivisse me memini, minùs exercuisse. *Simp.* Capacitati audientium nos accommodamus, & aliis præcepta Dei, aliis etiam consilia prædicamus. In Augustino virum magnum præfagit Ambrosius, ideò magnis vult animis crescere: apud alios exigimus plura, ut obtineamus aliquid saltem. Nihil diligere *supra Deum*, hoc est eligere potiùs omne malum, & abjicere omne bonum, quàm graviter Deum offendere, *salutis necessitas* postulat: nihil diligere *præter Deum*, *salutis securitas* exigit, eò quòd etiam leviter inordinata creaturæ dilectio facillè præcipitet in ruinam: diligere Deum *sine modo*, Heroum est nihil humile cogitantium, & placere Deo suo non quomodocunque contentorum, eò quòd sciant, quòd Deus in animabus ipsi placere singulariter cupientibus, etiam singulariter placeat sibi, ut in pictura Princeps, in qua perfectius imaginem suam pictor expressit. In qua classe ex tribus vos esse cupitis? *Rom.* Ego Christianæ legis sublimem sanctitatem admiror. *Verec.* Ego ex admiratione confundor! *Nebr.* Ego consequi nihil despero. *Pot.* Ego, quòd absim tam longè, erubesco. *Simp.* Amici, ego vos invito in solitudinem: seligite tempus aliquod, saltem pauculos dies, *vacate & videte* sepositis negotiis aliis, quid necesse sit, quid deceat, quid juvet, ut possitis beati esse. Consilium *perpetuæ solitudinis* pro vobis non est. Mensstrua, hebdomadaria, dierum aliquot suadet salubriter. Admittite *experientiam* animò bonæ frugis cupidò: certus sum, gavifuros ex fructu ... abeunt: nempe ut observent, quid sociis fiat. Idem exspecto & interea Deo supplico. O Deus amoris, quàm capax ad amores est pectus Augustini, tam exardeat vehementer, ut rumpat carceres, & se propaget in orbem terrarum!

U 3

CHO.

C H O R U S.

Anthropus lætitiæ spiritualis *Experientia*
captus, vitæ melioris *Exercitia* æstimat,
amat, & *designatis temporibus* profequi
statuit. (a)

Anthropus. 5. Sensus. Fides. Spes. Timor. Amor.

Anthropus. IO! felicissima felicitas!
Pergite filii, pergite strenuè,
Ex Amoris imperio hortum excolere;
Experior pretium operæ, experior.

Aria.

Eugenia, Eugenia, (b)
Tandem intelligo, quid sit lætitia;
Major in dies se explicat area:
Extra me, nulla est,
Intra me, tota est,
Ita me docuit *Experientia*:

Eugenia, Eugenia,
2. Frustra lassatus sum: (c)
Pernox, & perdius avia, devia
Frustra scrutatus sum:
Navi per *flumina*, transii maria,

(a) Hortus in 5. recessus divisus, & diversa vitæ spiritualis gaudia *emblematicè* exhibens.

(b) Vox Archimedis Philosophi gaudentis, quod *invenisset* diu desideratam alicujus theorematis demonstrationem.

(c) Lassati sumus in via iniquitatis, & ambulavimus vias difficiles, Sap. 5.

Nusquam se obtulit vera letitia:

Denique, duce te,

Experientia,

Reperi intra me,

Εὐχαι, Εὐχαι!

Timor. * Bene est: vocem lætantis audio:

Plaude Amor!

† Tacite prodit.

Possides Anthropum, gaudeo!

Anthropus. Vivo ego, jam non ego,

Gal. 2.

Amor vivit in me!

Alii sunt mihi oculi,

Aures & nares aliæ,

Gustus item & tactus

Nova prorsus affectio:

Nunquam sensi gaudium,

Quale hodie sentio.

Gustus. Nempe purum, & sine sordibus,

Tactus. Perfectum, & nullis implicitum vepribus,

Auditus. Non puerile, non stolidum,

Odoratus. Sed sincerum, solidum,

Visus. Et dignum homine gaudium.

Anthropus. Amor,, Amor vivit in me!

Timor. Vivat! gratulor: *

Ecce descendit, excipe!

Anthropus. Io! descendat!

Veniat Dilectus meus in hortum suum,

5. Sensus. Veniat, & comedat fructum pomorum suorum, Cant. 5

Visus. Fructum Contemplationis,

Odoratus. Fructum Orationis,

Tactus. Et Mortificationis,

Auditus.

* Amor de nubibus venit cum Fide & Spe

Auditus. Fructum divinatorum Verborum,
Gustus. Et sacrorum Mysteriorum.
Anthropus. Fructum omnium Exercitationum Spiritualium.

Chorus.

Io! veni, dominare,
 Veni Amor, impera!
 ! Tua per imperia
 Amor, potes nos beare,
 Veni, veni, impera!

Prov. 8.

Amor. Ego diligentes me diligo,
 Amicos, non servos nomino.
 Placet, quod placere vobis videam
 Amoris Exercitia,

Joan. 15.

Fides. Ex his vivit anima,
Spes. Ex his crescit gratia,
Amor. Ex his cumulantur merita,
Anthropus. Et in his (quod heu! diu incredulum
 Docuit Experientia)
 In his est Manna absconditum,
 Quod nemo scit, nisi qui accipit.

Apoc. 2.

Amor. Tu scis, quantus in illo sit sensus dulcedinis:
 Age, explica pro aliis.

Anthropus. Ah! quis mihi det verba,
 Quibus possim exprimere,
 Quid sit dicere:
 Exultavit Spiritus meus in Deo Salutari meo? Luc. 1.

Fides. Quicquid dixerit, nihil explico.
 Placebit conatus: dic saltem aliquid.

Ariose

Omnes tres. Dic: Spiritus gaudia tanta sunt gaudia,

Fides

- Fides.* Quanta nautarum sunt portum tenentium,
Quanta victorum sunt prædam agentium :
- Anthropus.* Ventus sunt, bulla sunt :
- Spes.* Quanta repertò thesaurò plaudentium,
Quanta in regium thronum scandentium :
- Anthropus.* Umbra sunt, fumus sunt :
- Amor.* Quanta sunt juvenum sponsam venantium,
Aut per Elyfios campos cantantium :
- Anthropus.* Somnus sunt, nugæ sunt,
Ah nihil explico :
Sentire potui: dicere nescio.
A, a, a, Domine Deus, ecce nescio loqui.
Quia puer ego sum, Jer. 2.
Ad explicandum, quo me obruis, gaudium.
O liceat utinam his in deliciis *semper* helluari !
Utinam nunquam contingeret avocari !
Sed sacro diutiùs oblectare me otio,
Non permittit vitæ conditio,
Non statùs ratio.
Redeundum est ad negotia,
Ad labores, ad tædia.
- Amor.* *Omnia tempus habent :* Eccle. 5.
Nescis hoc, Anthrope ?
Si sapias, audis, quod consulo :
Dies tuos, & horas tres in classes distribue :
Invenies alias, quas officio impendas, & statui,
Alias, quas dabis corpori,
Et habebis adhuc reliquas,
Quas dones Spiritui.
Imò, nota bene, quod doceo :
Quidquid exerceas, X Exer.

*Exercitia sunt spiritualia,
Si, quem Fides dirigit,
Spes animat,
Charitas imperat,
Assueveris ordini.*

Anthropus. De quo tu mihi ordine?

Amor. Exhibeo in imagine. Suspice! *

Aria.

Sol irrequietus, quin usquam figatur,
Per signa bis sena in cælo vagatur;
Sed! scriptum à Deo per circulum it.
Non exit ad dextram, ad levam non vergit,
Per mediam viam ex ordine pergit:
Sic mundo jucundus, & utilis fit.

2.

Fac, erret, ut errant exléges Cometæ:
Nil opus est voce minantis Prophetæ,
Clamatis: turbatus est siderum Rex!
Væ mundo, væ nobis! .. gementes stupetis,
Quem heri amâstis, pro monstro horretis:
En! tanti est ordinis congrui lex.

Anthropus. Imaginem video:

Nondum tamen, quid svelis, fati capio.

Amor. Explico.

Quod sol est in cælis, hoc tu es in terris,
Duodecim signa sunt duodecim horarum negotia,
Circulus est lex Amoris:
In hac linea illa perambula, certo ordine:

* Exhibetur Sol in Zodiaco.

Ita

Ita etiam, cum exieris *extra te*,
 Non te deserent spiritus *deliciae* ;
 Modò tu illas non deseras,
 Et cum *ordo* poposcerit,
 Rursum te *in te* recipias.

Anthropus. Ordo! ordo! nunc intelligo *mysterium*

Hem! *diarium* *

Tot perturbationum *Seminarium* !
 Nullus hic *ordo* est, mera confusio,
 Quia non scripsit *Amor*, sed *impetus & affectio*.
 Ah! *Amor* corrige!

Amor. Leva te supra te! ascende ad me!

Timor. Ascende, porrige.

Amor. In sole pone *Tabernaculum* ;

Hinc impera, hinc jura da!

Anthropus. Beatus sum! *

Aria.

Anni, menses, dies, horæ,
 Ite posthac in amore!

In amore vivere,

Est jucundè vivere.

Dum amabo, sum beatus:

Amor bene ordinatus

Bonum servat *Ordinem*,

Ordo bonum hominem.

Repetit Chorus. *

Timor. Ego, quod ultra hic agam, non habeo,

Abeo, & novum alibi *domicilium*

Amori preparo.

Hoc est enim *Timoris* *Officium*.

X 2

* Exhibet *diarium vitæ præteritæ*,
 quæ est *Sol*. * *Clauditur*,

* Ascendit in *sedem amoris*,
 Ego

Ego sum *Sapientiae Principium!*
 Et frustra sperat in *Amoris Schola* proficere,
 Qui noluit meus esse discipulus.

Aria.

Veræ *Sapientiae*
Amor est compendium.
 Sed, quod intelligere
 Si quis velit, *sine me*
Temporis, & capitis
 Faciet dispendium.

2.

Multi licunt: *Domine,*
Amo! amo! amo te!
 Ah! quid juvat scioli!
 Didicistis *nomini*
Verbum conjugare!
 Prius iram *Domini*
 Discite, ô miseri,
 Bene *declinare.*

PUNCTUM II.

Executionis Modus.

SCENA I.

Simplicianus. Alipius. Navigius.

S*implicianus.* Magnas de Augustino spes mihi animus loquitur:
 non miscet tamen se metus nullus. Nam si amantem soli-
 tudinis in turbas retraho, quis me securum faciet, non relapsurum
 in

in sordes, unde tantus labor fuit extrahere? Ambrosius suavit, ut suaderem, ne vir tantus salutis animarum procurandæ subtrahat se, hoc solatur, & facit, ut credam, consilium hoc congruere cum Dei consilio: aliàs curam tam gravem suscipere non vocatum à Deo, nimis periculosa temeritas foret. Explorabo, quo animo ipse nunc sit. Alipius, & Navigius veniunt. Quid sit, amici, quid sit? *Al.* Mera prodigia vidimus, Pater, & nisi aut cesset Amor, aut confortet, necesse est Augustini cor divino igne consumi. Deus magne! ex infernali titione, qui nuper fumo piceo oculos nostros cruciabat, mutata est felix anima in facem splendidam, & cælestes flammæ spargentem, quæ me simili ardore comburunt. *Nav.* Ego, Pater, nunc intelligo, quid sit, quod suaveras, *objectum amoris* mutare. Quò amabilius est Deus, quàm caro, tantò ferventior in fratre nunc ardet Amor Dei, quàm olim arserat amor carnis. *Simp.* Lætus audio. Nunquam hoc biennio tam insolitum ardorem in amico notastis? *Al.* Dulces lachrymas, devota suspiria, sancta desideria quotidie observavi: motum pectoris tam vehementem hodie primum. *Simp.* Causam scitis? *Nav.* Divino, hunc effectum *Examinis* esse, quod imperastis. *Simp.* Rectè divinas: & ô si scirent homines, quanta sint bona *vita reflexæ*, quàm multos etiam hodie, sanctos numeraret Ecclesia! nunc probi quoque viri progressum in virtute exiguum faciunt, quia nunquam aut rarò *reflectunt* in se oculos, ut *examinent*, quousque processerint, & quanta super sit via ad terminum. Gaudeo, vos vidisse hujus *Examinis* fructum in alio, & spero usuros pro vobis. *Al.* Jam usus sum ad meum pudorem. *Nav.* Et ego intellexi, quantum absim à vertice. *Al.* *Nihil amare supra Deum*, quid est æquius? dicitur natura, quòd majus bonum sit plus amandum, quàm minus bonum, atque adeò *Summum Bonum* utique plus, quàm omne aliud bonum: & iste primus amoris est gradus, quem cum inspexi, dubitare cæpi, an vel in isto firmus consistam. *Simp.* Qualem te igitur vidisses in altero gradu, qui est,

nihil amare præter Deum? Nav. Ah! Pater! iste gradus hominem exigit jam penitus sibi mortuum; quando huc pertingam?

Simp. Si pertigisses etiam, scandendus superesset tertius, qui est, *Deum sine modo diligere*. Nunc quando mirabiles motus in Augustino vidistis, in quo gradu illum creditis stare? *Al.* Nos narramus, quod vidimus: inde tu judica. Quanquam en ipse prodit.

S C E N A II.

Accedit Augustinus.

Augustinus. Inspeci me, Pater, & vidi, quod ominabar, amorem solitudinis amorem esse mei, non Dei, & medium, non finem, ad quem me Deus vocavit. Habes obtemperantem Ambrosio: fide vivus, spe fortis, dolore contritus, amore ardens ad Baptismum venio: inde procedam in campum apertum, novus Christi miles prælia Domini præliaturus. Valetate silvæ! huc usque intra vos amor me Dei tenuit: jam idem amor expellit, & à quiete evocat ad labores. *Simp.* Sic sperabam, & æquum est, ut armatus ab amore de orco te vindices, qui tam diu captivum tenuit. *Aug.* Ulciscar, sic me Deus adjuvèt! ulciscar probrum, & post me peccaturis exemplum dabo, quæ sit ultio, qua se dignè vindicent de mancipatu, quem sub turpissimo jugo dæmonis pertulerunt. *Simp.* Quid facies? *Aug.* Primùm, Pater, confitebor publicè, qualis fuerim. Sciet orbis scelera universa, quibus me inquinavi, sciet & scripta leget à me ipso, ut videant innocentes, & caveant vias, quibus itur in barathrum: videant peccatores, & cùm legunt me, inspiciant se velut in speculo, atque exhorreant: videant pusillanimes, & discant, quid possint sperare: videant impudentes, & intelligant, quàm Deus amore sit dignus, qui cum patientia tam amabili connivet tam diu, & expectat. *Simp.* Laudo propositum, & erunt utique, qui ex publicæ Poenitentia exemplo sapient, & quos de te legunt, conscendent

dent conversionis gradus, obstacula superabunt, *luctam* non fugient, vim facient sibi, & reportabunt *victoriam*. Ita eris orbi universo *perfectæ conversionis exemplar*, in perpetua tempora. Generosa Resolutio est, sed *amplius Amor exigit*. Quid adhuc facies? *Aug.* Ascensiones disponam in corde meo, non gressibus corporis, sed affectibus mentis, ita, ut omnis posthac mea conversatio in coelis sit. Immiscebo me Angelis, & exultans de gloria Domini mei clamabo: *Gloria in altissimis Deo!* descendam ad inferos, & contemplans, quod merui, *miseri cordias Domini cantabo* cum júbilo! circuibo per orbem, & rapiam ad Deum animas, & dicam eis: *Hunc amate! hunc amate!* & ô! ut traham ad te, Domine, saltem tot homines per pœnitentiæ exemplum, quot abstraxi à te per scandalum! *Simp.* Laudabilis fervor est, qui tenerè pectus afficit, & nutrit amorem. Sed delicatior cibus est, quàm ut robur afferat, quod faciat ex puero virum: *amplius amor exigit*. Quid adhuc facies? *Aug.* Exhibo à me, *abnegabo me ipsum*, & ut hostem Deicidii reum tractabo: subtraham mihi, quod appetitus postulat, & quod refugit, inferam, tantum ut sim remotior à peccato. *Simp.* Jam magis places. Affectus ramenta sunt, quibus ignis natus nutritur, abnegatio lignum, quo roboratur, & crescit, ita, ut nec flumina obruant illum. Sed ignis nunquam dicit: sufficit! & *amor amplius exigit*: quid adhuc facies? *Aug.* Egressus à me introibo in Deum, & illi me arctissimè uniam. Amplectar ambobus brachiis sponsum animæ meæ, & non dimittam! brachium unum intellectus, brachium alterum voluntas est: uniam me *intellectu*, & iudicium meum conformabo iudicio Dei. *Simp.* Siccine: atqui Deus iudicat nihil esse malum præter peccatum. *Aug.* Etiam ego. *Simp.* Deus iudicat, nihil esse æstimabile præter virtutem. *Aug.* Etiam ego. *Simp.* *Sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum.* *Aug.* Etiam iudico. *Simp.* Sic Augustine, errare non potes, nam Dei iudicium, quia solum est infallibile, est certa boni iudicii regula. Sed necdum sufficit. *Amplius*

plius amor exigit. Quid adhuc facies? *Aug.* Sicut iudicium meum iudicio Dei, sic meam voluntatem conformabo voluntati Dei, ut totus sim unus cum Deo. *Simp.* Totus unicus volebas dicere, non totus unus. *Aug.* Totus unus, Pater, totus unus! ab dico enim me iudicio proprio, ab dico me propria voluntate; iudicio Dei, voluntate Dei agere, & agi volo. *Simp.* Maeste animo! jam non procul abes à vertice! sed nondum amor dicit: *sufficit!* quid sequatur ex his præmissis considera, num sit animus consecrari. *Aug.* Quid sequitur? *Simp.* Ut sis insensibilis ad mala tua, & tenevrimus sensus ad mala Dei. *Aug.* Conatus non deerit, Pater, & conatum juvabit gratia. *Simp.* Igitur injurias illatas tibi non vindicabis? *Aug.* Ego, cui tot injurias Deus condonavit, cogitem de vindicta? *Simp.* Dolores corporis, egestatis incommoda, contemptum tui æquò animò feres? *Aug.* Infernum merui! *Simp.* Etiam mortem immaturam, & ante tempus? *Aug.* Dei Filium video pro me mortuum: *velut agnus obmutuit coram tondente se:* & ego os aperiam? vivo, ut amem Deum: post mortem amabo magis, & ego mortem horream? adsit mors! optanda mors, quæ me solvet ex isto carcere, in quo corpus aggravat animam, ne amet, quantum potest! *Simp.* Bonum votum est, si præter te nemo sit, qui possit ad amandum Deum excitari à te. Nunc circumspecte orbem terrarum, quanti sunt, qui ignorant Deum! quanti qui blasphemant etiam! & quot invenies tu, qui nunquam contemnunt tanti Legislatoris auctoritatem? qui semper obediunt imperanti? Quid? te istæ injuriæ non movent, ut velis diutiùs vivere, possisque tuo labore & industria utiliter Deo militare? aut nimirum sicut vult Amor, ut insensibilis sis ad mala tua, sic dissimulat, si etiam nihil sentias mala Dei? absit! *amplius amor exigit!* quid adhuc facies? *Aug.* Postquam intelligo, Pater, quanta sit injuria non obedire Deo, nemo tenebit me, quin acerbissimè sentiam offendi Deum. Ideò solitudinem desero tam amabilem mihi! *Simp.* Audivi jactantem se: circuibo orbem, rapiam

rapiam ad Deum animas, & dicam eis: *bunc amate! hunc amate!* nempe si opponat se nemo, si via plana & strata rosas, si animæ, quas curabis, non obstinata? *Aug.* Imò super aspidem & basiliscum ambulabo, & caput serpentis conteram. *Simp.* Audies maledicentes Deo, negantes Providentiam, calumniantes Justitiam, duritiam accusantes! *Aug.* Pater, vulneras cor meum funesta commemoratione infrunitæ audaciæ! *Simp.* Videbis palam calcari leges, & petulanter contemni Decalogum! *Aug.* Ah vidi, & feci sine sensu, quia homo non fui! nunc gratia fecit hominem, & hominem novum fecit, ideò, quod sensi olim, jam non sentio: quod olim non sensi, sentio nunc. *Simp.* Sines, ut jam nunc probem, num verbis respondeat animus? *Aug.* Quod voles, impera. Ecce per ferrum, & ignes ibo, ut injuriam impediam Dei: tanta sensus acerbitas est. *Simp.* Adhuc *ampliùs amor exigit.* Non solùm offendi Deum grave est amanti Deum, sed etiam minùs ferventer serviri Deo, angitur, flet, irascitur, laborat, ægrotat, moritur, qui *sine modo* amat. Nunc ecce amici sunt, qui hac in silva ambulant, homines bonæ mentis, sed adhuc non magnæ, dolent vitæ communis consilium à me eversum esse, separari à tua consuetudine nolunt: quid cessas? ostende, quòd ames Deum, & erige, ut, qui Baptismum expetunt, expetant etiam, quod baptizandum decet, ut esse velint de *numero paucorum*, quos Christus non solùm vocavit, sed etiam elegit. *Aug.* Ecce eo! facilis labor est cum animis bonis: mitte ad barbaros, sic probabis! *Simp.* A bonis incipe. Vix faciet ex malis bonos, qui ex bonis facere meliores non potest. Habet aliquid etiam terra bona, quo fatiget agricolam, quem amor non animat. I, collige homines, amare doce! *Aug.* Potitianus amat Deum! *Simp.* Amet ampliùs! *Aug.* Nebridius amat. *Simp.* Amet ampliùs! *Aug.* Romanianus & Verecundus incipiunt. *Simp.* Incipiant ferventiùs, quisque pro sua capacitate, conditione, & statu. *Aug.* Nunc quid velis, capio. Sic est, Christus venit, non modò, ut vitam

Y

habeant

habeant oves suæ, sed & ut abundantius habeant. O Amor, da, ut dem! *Simp.* Et vos quousque adstatis attoniti? *Al.* Stupidos ardor Divinus facit, quo ardet ille, quem novimus, qualis fuerit. *Nav.* O admirabilem vim amoris! ecce per omnes gradus nihil hærens promittit frater se ire velle, & me tepor meus in imo tenet. *Simp.* Refert, qua quisque diligentia se in amore exerceat; *exercitatio* fortem & promptum facit. Ite, observate Augustinum, qua diligentia, qua arte agat, quod iussi agere. *Al.* Observabo ad fructum. *Nav.* Et ad pudorem.

S C E N A III.

Simplicianus Solus.

Superi! Boni Superi! Erítne constans hic fervor viri? ... erit constans, quia ab amore natus est. Amor, ô amor facer, quàm admirandas facis metamorphóses ... ô Gratia, ô Gratia, quàm facilè ex scelesto fit sanctus, qui tibi cooperatur, cum urges! Et quid fiet Augustino! ... Quære, quid factum sit. Jam *Sanctum* amor fecit, & faciet *Sanctum Magnum*, & citò faciet. .. Vah! miserum me! Ecce Simpliciane, iste Catechumenus, iste Manichæus, iste decem annorum Fornicarius præcedet te in regno Dei! ... tanti est pœnitentiam agere, quo modo, & tempore Gratia urget. ... Quò me abripis Deus? quid video! ô Boni Cælites, Augustinum video vestro splendore splendidum! ô aspectus amabilis! *

M U S I C A

Fructum Victoriæ Augustini omnem ostendit, & ad simile ausum animat.

Gratia.

Eja! triumpho victrix Gratia!
Augustinus mea est Gloria!
Per me ille vicit naturam,
Per me voluptatem subjugavit,
Et ferream consuetudinem stravit.

* Spectaculum in extasi.

Ad-

Adeste pusillanimes!
 Videte fructum Victoriæ,
 Et discite, quid mecum possitis facere,
 Si velitis vos mihi *in tempore* dedere.

Arietta.

1.
 O segnes nimis animæ,
 Quas sibi mundus emit,
 Aut caro tenet compede,
 Aut orcus pede premit!
 Quousque per ignaviam
 A prælio cessatis?
 Assurgite! victoriam
 Promitto, si pugnatis.

2.
 Nil terreat pessumdata,
 Nil fragilis natura:
 En arma offert Gratia,
 Vobiscum pugnatura.
 Si ego manum dirigo,
 Vel *funda* est timenda,
 Et nuda *pueri* dextera
 Giganti metuenda.

4.
 Ex illa die maximis
 De hostibus juratis
 Inclarui victoriis,
 Et spoliis relatis.
 Quot Martyres, quot Virgines,
 Quot stellæ sunt (non fallo)
 Tot testes sunt, quod vana spes
 Non sit, quam ego alo.

3.
 Invieta vis est Gratia,
 Ab ipso Deo data,
 Ex Morientis latere
 Progressa sum armata!
 Cùm, qui in ligno vicerat,
 In ligno vinceretur,
 Sum nata, ut, qui ruerat,
 Homo erigeretur.

5.
 Hoc moneo, hoc repeto,
 Hoc urgeo, hoc clamo:
 Me utere, cùm offero,
 Cùm juvo te, cùm amo:
 Nam venio, & abeo,
 Non semper me habebis,
 Et tibi, si non redeo,
 Quid fiet? frustra flebis.

Y 2

Simp.

Simp. O gaudium! ô spes! ô horror! Augustine, quantum tibi bonum *una Victoria* & jam peperit, & adhuc pariet! ô peccatores, quantis animis crescere ex hoc exemplo debetis! Et si differtis sequi poenitentem, quem estis secuti peccantem, heu! quid fiet vobis? quid fiet?

S C E N A IV.

Personæ omnes.

A*Lipius.* Pater, acta res est: jam se nemo Augustino oppōnit, vitam solitariam deserturo. De amando Deo, & ex amoris impulsu suscipienda animarum cura, si Deus vocet, sic peroravit, ut conclamaverint omnes, etiam suas se animas directioni Augustini submittere. Negavit, se Patrem esse posse, antequam per Baptismum renasceretur: Ambrosio se commendarent. Statuerunt: & ego, Pater, si probet Præsul, idem cum amico vitæ institutum amplector. Habeat me totum Deus, habeant me animæ sibi. *Nav.* Pater, primus manipulus venit, quem Frater collegit in horreum Domini. *Rom.* O bene impensas opes! ô bene peractum iter, quod huc me perduxit! *Verec.* Deus bone, quos motus sentio! & quæ cupido ardet ad mutationem celerrimam vitæ actæ! *Pot.* Audivi verba, quæ nemo loquitur, nisi qui ardet. *Nebr.* Ego Simpliciane, Augustino adhæreo, quocunque jerit. Amoris sancti, Amoris Divini tu mihi posthac Magister eris. *Simp.* Video primitias zeli tui! veni, offeramus Ambrosio, videat oculis, quid possit sperare. *Aug.* Imus, videat, & doceat, quæ vitæ ratio cuique congruat. Ego his animis lætus relinquo te, ô solitudo felix, solitudo dilecta, novæ vitæ Magistra mihi: ad fontem Salutis propero, & deinceps non *mibi vivam, sed ei, qui pro me mortuus est!* (a) O Amor infinite, serò, ah! serò te amavi! nunc serò amabo tandem, nec amabo solus, sed, quod in me est, laborabo, ut totus mundus diligat te, *totus mundus diligat te!* *Simp.* Votum est *perfectè conversi!* agamus Deo gratias. *Omnes.* Deo Gratias.

(a) 2. Cor. 5.

O. A. M. D. G.